

Xe. 279.


DE
ABUSU EXCITANTIUM
IN FEBRIBUS PUTRIDIS

CONSENTO
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINI
IN ALMA FRIDERIANA

EX EDITIONE
CHRIST. FRIDERICI MAURITII
GOLDHAGEN

HALAE,
MONTIBUS FRANCORVM

1700.



DE
ABUSU EXCITANTIUM
IN FEBRIBUS PUTRIDIS

CONSENSU
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA

PRO
GRADU DOCTORIS
SOLENNITER CAPESSENDO
DIE XI. OCTOBRIS, CICLOCCXC

PUBLICE DISSERET
CHRIST. FRIDERICUS MAURITIUS
GOLDHAGEN
HOHENSTEINENSIS.

HALAE,
LITTERIS FRANCKIANIS.



V I R O
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
CAR. CHRISTOPHORO
DE HOFFMANN,
ACADEMIAE FRIDERICIANAE CANCELLARIO,
AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI
A CONSILIIS INTIMIS,
SERENISSIMO PRINCIPI BORUSSORUM
H E N R I C O
A REGIMINE CURIAE, QUAE RES CAMERALES
DIRIGIT,
DYNASTAE IN DIESKAU
ET BRUCKDORFF,

PATRONO ET MAECENATI SUO
LONGE GRATIOSISSIMO,

nec non

V I R I S
ILLUSTRIBUS, EXCELLENTISSLIMIS,
CELEBERRIMIS
D. PHILIP. FRIDER.
M E C K E L

MEDIC. DOCT. PEOF. PUBL. ORDIN. IN ACAD. FRID.
INSTIT. REG. CLIN. CHIRURG. DIRECTORI: CIRCUL.
SALIC. ET COMIT. MANSFELD. PHYSICO:
FACULTAT. MED. P. T. DECANO.

ET RELIQUIS
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAЕ HALENSIS
PROFESSORIBUS
PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS SUIS
PER OMNEM VITAM

PIE, SANCTE COLENDIS,

ET

V I R O
EXPERIENTISSIMO, CONSULTISSIMO
HENRICO PHILIPPO
GOLDHAGEN,
MAGISTRATUS

AMPLISSIMAE CIVITATIS HALENSIS CONSULI ET
COLLEGII CIVICI PUPILLORUM DIRECTORI,

P A T R U O S U O
OMNI PIETATIS CULTU PROSEQUENDO,

H A S C E
PIERIDUM PRIMITIAS

I N
P U B L I C U M

M A X I M A E R E V E R E N T I A E E T G R A T I
A N I M I M O N U M E N T U M

O B
S U M M A I N S E M E R I T A C U M
A R D E N T I S S I M I S

P R O S P E R I T A T I S P E R E N N I S E T F E L I C I T A T I S
O M N I G E N A E

V O T I S
S A C R A S E S S E C U P I T E T O F F E R T

A U T O R.

DE ABUSU EXCITANTIUM IN FEBRIBUS PUTRIDIS.

§. I.

Instituti ratio.

Inter dirissimos ^{a)}, quibus genus humanum subjacet, morbos, merito numeratur febris putrida. Quo vero dirior hic morbus, quo frequentius homines affligit, eo majorem medicorum tam in dignoscendo, quam curando attentionem atque diligentiam jure meretur. Jam olim artis nostrae parentis **HIPPOCRATIS** fuit esstatum: qui morbi cujuscumque medelam feliciter instituere cupit, naturam morbi ejusque causam bene nosse contendat. Cognitis autem his, constat semperque constabit irrefutabilis illa therapiae generalis lex: indicata indicationibus ex omni parte respondeant. Cum vero

^{a)} *Fr. Hoffmann* opera omnia physic. medic. Genev. 1740. fol.
Tom. I. pag. 223. ib. pag. 161. §. 19.

A

in'febre putrida curanda, licet periculose aleae plena, multi tamen medici practici, istud axiomam plane negligere videntur, ita ut ea, quam huic morbo medendi arripiunt, methodus, indicationibus plane contraria, itaque perversa plerumque sit; operaem praetium fore existimavi, morbi huius perniciosi, brevem historiam ac indicata praemittere, tum medicamina, quae quotidie contra rationem sanamque indicationem in maximum eheu! aegrotorum detrimentum in hac febre adhibentur, speciminis inauguralis loco, pro virium tenuitate disquirere.

§. 2.

Febris putrida, quid variis?

De variis scriptorum, quae de natura febris putridae exstant, opinionibus ex professio et distincte hic dicere, supersedeo, cum longum foret, et a scopo meo alienum. Paucis solummodo attingam praecipuas. **GALENUS PERGAMENUS**, medicorum princeps, cuius operam, ingenium ac prudentiam in medendo, non raro Roma, Antonino Pio imperante, experta est, postquam *b)* febris effentiam, causas et differentiam proposuit, de signis febrium putridarum sermonem *c)* instituit: hunc post Graecos aemulatus est **AVICENNA**, Arabum princeps, qui *d)* illorum feriem exacte descripsit, quo loco

b) Lib. I. de differentiis febrium

c) Lib. I. cap. 7.

d) Libro IV. sen. I. tract. 2. cap. 2.

non solum signa, quae declarant febres putridas, sed quae ipsas antecedunt, delineavit. Si vero varia, in quibus de febribus putridis sermonem facit **GALENUS**, inter se compares loca, magnam omnino obscuritatem et difficultatem in explicanda ipsius vera mente inventies. Ipsam febrem putridam nomine febris biliosa e quod saepe comprehendenterit, aperte colligitur, dum ait: *e)* „Liquet autem, quod, cum sanguis putreficeret, non amplius bonus remaneat, sed jam ad „amarae bilis naturam transeat: atque in hoc illud „observatur, triplex esse genus universum febrium „simplicium, quae enim ex sanguinis putredine fit, jam „quod ammodo biliosa est etc.“ Quum **GALENUS** tres tantum formas, sive tria tantum genera simplicium febrium putridarum statuat *f)*, biliosam nempe, pituitosam et melancholicam, elucet, ipsum febrem ex putredine sanguinis ab illis diversam non admittere, sed ad febrem biliosam referre: dicendo enim, „etsi vere biliosa non „fit, maxime tamen illi adsimilatur,“ aperte indicat, febrem, de qua agimus, non esse vere biliosam, sed ei valde adsimilem: maxime cum sanguis per putredinem multum excandescens, valide disponatur, ut partes ejus tenuiores in bilem transmutentur. Quod ipsum jam effecisse videtur, ut periodo febris biliosae *g)* praefixa, febrem ipsam biliosam appellari. Denique, quum fe-

A 2

e) Lib. II. crif. cap. 12.

f) Lib. II. febr. et lib. II. crif. l. c.

g) Lib. II. febr. cap. 9.

brem sanguinis non putrescentis, sub ephemera comprehenderit b), universo tres tantum febrium species, diariam scilicet, putridam et hepticam innuit. Licet autem **GALENUS** febrem putrescentis sanguinis febri biliosae adnumeret, ob dictam causam tamen, dum methodum curatoriam illarum persequitur, eas inter se distinguit. Alio quippe loco i) historiam morbi referens, non solum evidentes putrescentium humorum notas memorat; sed continentem etiam ex humorum putredine febrem, et quae assidue decresceret, se viduisse scribit. In hac simul febre venam ad animi usque deliquium felicum cum successu sectam adducit. Quae vero quum ita sint, enucleandum supereft, cur **GALENUS** in febre putrida ita audacter sanguinem emiserit, dum ex alio ipsius loco, quo monet k) missione sanguinis, ipsius putredinem non curari patet, ex mente **GALENI** neque in synocho putri, neque in omnibus aliis febribus putridis venaesctionem prodefse, nisi statum sanguineum, seu, quod nunc dicimus, inflammatorum probe discerneret in primo stadio hujus morbi a febre simplici putrida? Liquet autem, **GALENUM** febris putridae notionem perspicuum non exhibuisse: atque hinc diffensum commentatorum ipsius ceterorumque ejus asseclarum facile colligimus. Hisce adde, veteres de causa febris putridae proxima, deque

b) Lib. IX. method. med. cap. I. et lib. II. febr. cap. 9.

i) Lib. IX. method. med. cap. 4.

k) Lib. XI. meth. med. cap. 14.

putrefactione ipsa in varias easque ambiguas abiisse vias. AVICENNA *l*) undequaque videtur refellere GALENUM afferentem, non dari febrem ex putredine sanguinis, propterea quod sanguis, dum putrefit, fiat bilis, et non remaneat sanguis; quare etiam febris ex putredine sanguinis orta, biliofa et non sanguinea esset dicensa. Et quoniam haec GALENI ratio duplicem sensum admittit, utrumque impugnavit. Sed mittam alios, qui tam varie interpretantur GALENUM, immo multiplicibus telis instructi reprehendunt et accusant, quales sunt TURISANUS, MERCATUS, FERNELIUS, VALLESIUS, THOMAS A VIEGA, alii. Omnia diffensus conciliari feliciter potest, statuendo, GALENUM non veram putredinem in febribus putridis, sed modo pronitatem et nisum ad putredam fermentationem et resolutionem, quae veram putrescentiam anteire solet, subintellexisse: extra dubium enim est, eum bilem etiam in corpore humano e discrasia quasi putrida humorum derivasse.

Non miremur ergo, si tam ambiguae protensum inveniamus vocabulum febris putridae apud scriptores tam antiquos, quam recentiores. Non absolum mihi videtur, hic BURSERIT *m*) verba allegare. „Hac quippe, inquit, (putridam innuens) febres omnes comprehendenterunt, in quibus sanguis vera putredine corrumperit, et colliquescit, sic, ut sanguis e vena mis-

l) Lib. IV. sen I. tract. 2, cap. 42.

m) Institut. medic. pract. Lips. 1787. 8. Vol. I. §. 256.

„sus omnino diffluat, nec umquam, nisi aegre concre-
 „cat, aut in vasis ipsis resolutus, immanes haemorra-
 „gias, aliasque immodicas, foetidissimasque evacuatio-
 „nes pariat. Aliis vero putridae febres vocantur illae,
 „quarum putridus fomes in primis tantum viis inside-
 „re, paullatimque in sanguinem invehit visus est. Nec
 „defuerunt, qui putridas eas dumtaxat dicendas ve-
 „lint, quae vulgo malignae vocantur; atque hi utriusque
 „generis symptomata permiscent, novumque pro ar-
 „bitrio conficiunt. Hac tandem putridae febris deno-
 „minatione alii ita abutuntur, ut ubique putredinem
 „sibi imaginentur, fereque omnes aliquanto graviores
 „febres putridarum censui adscribere non dubitent.“

§. 3.

Continuatio.

Quam recentiores scriptores plerumque nobiscum nominant febrem putridam, veteres synochum putrem appellant; nonnulli febrem malignam: sed male, quod ostendetur §pho 10. Plurimi vero autorum omnes febres cum putredine fordium biliosarum in primis viis cum sanguinis dissolutione putrida, cumque modica totius systematis nervosi perturbatione conjunctas, simul nomine febris putridae indicarunt. Recte monet itaque ill. WILLIAM GRANT, in aureo dixerim libro, de febribusⁿ⁾; „The words:

ⁿ⁾ An inquiry into the nature, rise and progress of the fe-
vers most common in London. Lond. 1771. 8. pag. 437.

putrid fever, of late years, have had no definite idea affixed to them; but are used to express every ill-conditioned fever, of what species soever it may be. "Illustri et beato CULLENIO o) tantae se offerunt difficultates in limitandis finibus putredinis, quippe quae et in multis aliis observatur febribus, ut haesitet, singularem febrium putridarum classem indicere. Nobis febris putrida est febris acuta, conjuncta cum prostratione virium et dissolutione humorum ad putredinem prona. Optime autem, me quidem sentiente, dispescitur in febrem putridam simplicem et complicatam sive bilioso-putridam. De singulis feorsum.

§. 4.

Symptomata febris putridae simplicis.

Ut vero clarius nostrae febris putridae simplicis innotescat facies, referantur modo eorum omnium, quae ipsam comitantur, et subsequuntur secundum H O M E p), symptomata: Calor scilicet intensus, mordax q) et remittens; pulsus ten-

o) Anfangsgr. der prakt. Arzneiwissensch. Leipz. 1773. 8. §. 74.
p. 52. sq.

p) Principia medicinae. Ed. 4. A m s t . 1775. 8. p. 35.

q) Optime Galenus hanc caloris qualitatem ut maximum febrium putridarum indicium posuit. Habet autem id singulare, ut saepe initio, dum tangitur aegri manus, levior videatur, sed augeatur quasi quovis momento, et tangentis medici digitum quasi pungat et mordeat, ac si de profundo

fus, parvus, frequens et inaequalis; prostratio vi-
rium summa, imbecillitas, anxietas et dejectus
animus, qui pessima quaevis ominatur, appetitus pro-
stratus, nausea, sine vel cum vomitu, dolor capitidis et
temporum, oculi inflammati et dolentes circa fundum
orbitae, color infumatus ^{r)}, tinnitus aurium; respira-
tio laboriosa, interrupta cum suspiriis, frequens, anhe-
losa, saepe cum narum pinnis motis; anima foetida,
dolores in praecordiis, artibus et dorso; decubitus
difficilis, jactatio Corporis frequentior, tremor, deliri-
um, rationisque perturbatio; lingua primo alba, dein
nigra atque arida; labia et dentes tenaci forde oblinita;
sanguis lividus, dissolutus, vix cohae-
rens ^{s)}, cito putrescens; fistis inexplibilis;
urina primo pallida, sed increscente morbo ruberrima ^{t)};
immo aliquando nigrescens, cum sedimento instar fu-

corporis calor emerget. Sed melius percipi, quam edici
ac describi potest. Cfr. Galenum de febr. differ. Lib. I.
cap. 7. — Pringle Beobacht. über die Krankheiten der
Armee; übersetzt von Brande. Altenb. 1772. 8. pag. 345.
Huxhami Opera physic. med. cur. Reichel Lips. 1764. 8.
T. III. p. 121. Id. T. II. p. 57. Avicenna I. c. cap. 2.
Forestus observat. et curat. medicinal. Lib. I. Observat.
14 et 17 in schol.

^{r)} Huxham I. c. T. II pag. 52.

^{s)} Brokklesby ökonom. und medicin. Beobacht. überset.
von Selle, Berl. 1772. 8. pag. 140.

^{t)} Van Swieten Commentar. in Boerh. Aphorism L. B. 1722-
73. 4. T. II. pag. 434.

liginis u); sudores foetidi v); excrementa alvi graveo-
lentia, livida, nigra vel sanguinea w); exanthemata
varia, saepe maculae lividae, parvae, instar stigmatis
pulicis; purpura, petechiae vel vibices x), haemor-
rhagiae narium y), aphthae, ulceratio faucium, fin-
gultus et mors.

§. 5.

Distinctio a febre inflammatoria.

Operae pretium jam est, dispicere signa illa, qui-
bus febris putrida ab aliis febribus distingua-
tur. Facile quidem febris ipsa in suo decursu distin-
guitur a febre inflammatoria per virum sum-
mam prostrationem, sanguinem e vena missum dissolu-
tum, nec corio inflammatorio teatum, pulsus non va-
lidum, sed parvum, imprimis vero per petechias et
constitutionem. Sed primo in studio saepe perquam
difficilis est diagnosis, si nempe vires aegri nondum
sunt fractae, et status inflammatorius, fibra stricta, ple-
thora simul sunt juncta. Tunc pulsus durus et celer

u) Huxham l. c. T. II. pag. 52, 96.

v) Cullen l.c. T. I. pag. 70. Nonnulli, et sudores sanguineolentos in hac febre se observasse tradunt.

w) Huxham l.c. T. II. cap. V. ib. pag. 96.

x) Id. ib. pag. 51.

y) Id. ib. pag. 50 seq. et J. J. Wepfer Cicutae aquat. hist. et nox. Basil. 1679 4. cap. 5. p. 52.

et rubor faciei saepe observati sunt, quo et solertissimi viri haud raro in errorem abducuntur. Hic prudentis est medici, caute agere, nil praecipitanter aggredi, et ad constitutionem epidemicam semper respicere. Post aliquot enim dies levissima iterum instituta venae sectio-ne, sanguis, ceteraque symptomata ipsi exhibebunt criteria, quae nullum ultra dubium relinquant z).

§. 6.

Distinctio a febre nervosa.

Difficilior jam est distinctio febris putridae a febre nervosa, cuius sane symptomata tanta apparent affinitate cum illis febris putridae, ut maxima non raro requiratur medici practici attentio, qua haec rite distinguantur ab illis. Multum vero interest, hac in re exacte versari, cum non solum origine sua admodum differant, sed et valde differentem requirant medendi rationem. BROWNE LANGRISCH a), Anglus, primo febres nervosas et putridas bene discrevit, quae antea saepe saepius in magnum generis humani detri-mentum, confundebantur. Nonne et hic error maxi-mam abusui excitantium ansam praebuisse dicendus est? Mihi quidem videtur. Calor tamen mordax,

z) Brocklesby, l. c. pag. 140. Huxham l. c. T. I. pag. 261. De nox. pal. effluv. L. I. P. 2. c. 3. §. 12.

a) Modern theory and practice of physic. Lond. 1738. 4. pag. 329 et 348.

pulsus celer et frequens; symptomata quaevis vehe-
mentiora; lingua flava, arida, nigra; fapor amarus,
putridus; anima foetida, urina ruberrima, oculi in-
flammati, vitrei; cutis sicca, sitis inexplebilis, excre-
menta alvi foetida, putrido-sanguinea; petechiae; pu-
tredo etc. sat superque ingens febrem putridam inter-
et nervosam discrimen evincunt b),

§. 7.

Distinctio a febre gastrica.

At difficillime a febre gastrica, utpote cum ipsa
putrida saepius complicata, in primo stadio dignoscitur.
Maxime tamen differt et haec, quod in illa nausea,
lingua alba aut flava, pravus oris fapor, halitus foetens,
ventris tumor, inflatio, borborygmi, diarrhoea, pulsus parvus debilis, inequalis, intermittens
plerumque occurrant, et typus remittentium servetur.

§. 8.

Febris bibliofo-putrida.

Rarissime obvenit febris putrida simplex, sed ple-
rumque et characterem habet simul biliosum. Meret
simplicem HUXHAM observavit. An praeter hanc
complicationem plures, proprium febrium genus con-
stituentes, statuamus? Dubito. Varii quidem autores

b) Cfr. Huxham Opp. T. II. pag. 75. sq.

variis, tanquam speciebus, febrem putridam simplicem complicationibus auxerunt, bene, an male? non dixerim: equidem naturae non valde consentaneum, nec clinicis tatis commodum videtur. At instituti nostri ratio non est, omnibus ac singulis hisce complicationibus prolixius insistere: sufficiat, paucis ea referre, quibus differentia, febrem simplicem putridam (§. 3. 4.) et bilioso - putridam intercedens, eaque maxime memorabilis et in praxi medica probe attendenda, innoscat magis. Quando ergo signa acrimoniae biliosae et dissolutionis humorum putridae deprehenduntur simul, emergit notio ejus febris putridae speciei, quae **bilioſo-putrida** audit. Hujus generis sunt plurimae febres putridae epidemicae apud autores, quibus autem, quod fieri solet, ne febris simplex putrida confundatur, caveamus: naturae enim aequa ac curationis ratione maxime a se recedunt. Symptomata vero, quibus facile a febre putrida simplici distinguantur, sunt: Lingua flava, ructus amari, putridi; vomitus biliosi, alvus viridis, biliosa et foetida, anxietas magna; sensations doloriscae et comprimentes in scrofula cordis, non raro intenso, sensibili et tumescente; dolores punctorii, vagique pectoris, tussis, calor multo acrior c); cephalalgiae vehementiores, facies pallida, flavescentia, tristis; calor flavus conjunctivae oculi, feni sanguinis; reliqua apparentia resolutionis sanguinis

c) Sarcone Gesch. der Krankheiten, die 1764 in Neapel sind beobachtet worden, a. d. Ital. Zürch 1770, 8. T. II. pag. 105. 109.

signa d). Ex observationibus Cel. PRINGLE, aliorumque clarissimorum virorum elucet, putrida effluvia tempore humido et calido huic febri ansam praebere e). Egregie vero errant, qui e lingua, cruxtra flavo - alba, tenaci, seu nigra obtecta, complicationem cum febre biliosa conjiciunt: haec enim potius a depravata secrezione pendet, et laxitatis solidorum humorumque diastasie pedissequa est.

§. 9.

Causa proxima febris putridae.

Mitto causas remotas f) quae disponunt ad febrem putridam, et tantummodo de causa proxima sermo erit. Omnes, iique praestantissimi medici consentiunt, causam proximam febris putridae esse putridam seu ad putrefactionem pronam humorum dissolutionem. Veteres medicos idem pu-

d) S. G. Vogel Handb. der prakt. Arzneywissensch. z. Gebr. für prakt. Aerzte. Stendal 1785. 8. T. I. pag. 388.

e) Pringle l. c. var. loc. — Huxham l. c. T. I. p. 66 — Hillary Observat. on the changes of the air and the epidem. diseases in the Island of Barbados, Lond. 1759. pag. 147. — Lind von den Krankh. der Europaeer in heißen Klimaten p. 226. — Moultrie Diss. de febr. malign. americ. ed. Baldinger p. 6. sq. — Brüning constit. epid. Essend. p. 5. — Ludwig adverf. V. I. P. I. p. 32. London. Bemerk. T. IV. p. 132. 267.

f) De iis vide S. G. Vogel l. c. T. I. p. 376. sq.

taſſe, e GALENI ſupra (§. 2.) citatis verbiſ elucere videtur: idem magno magni BOERHAAVII commentatori probatur g). De neotericis nemo non, quantum ego quidem ſcio ac memini, concedit. Testes apello LUDWIG h), HOME i) VOGEL k), TISSOT l), BURSERIUM m) et SELLE n).

§. 10.

Quid eſt diſſolutio humorum putrida?

Licet febris putrida a putredine nomen acceperit, haud veram tamen et perfectam putredinem ſanguinis et humorum adeffe, nec vita ſuperſtitie occurrere poſſe, omnes conſentiantur. GALENUS ipſe, etſi putredinis notionem aequo latius extenderit, docet tamen, putredinem humorum, quae ſiat intra vafa, ſpeciem eſſe coctionis, variamque pro varia humoris indole fuaque vi et potentia. „Humorum enim putredo, ut „ſcribit o), quae in vafis fit, ſimilis eſt ei, quae in in„flammationibus atque abſcēſſibus accidit, aliisque „collectionibus; duplex quidem ſecundum genus. Ex

g) Van Swieten l.c. T. II. p. 420.

h) Institution. medic. clinic. P. I. Cap. I. §. 241, not.

i) Loc. c. p. 85.

k) L. c. T. I. pag. 366 ſq.

l) Diſſ. de febrī biliosis etc. Laufann. 1780. 8.p. 21 ſq.

m) L. c. Vol. I. §. 263 ſq.

n) Medicin. (clinic. p. m. 23,

o) Lib. I. de different. febr. Cap. 6.

„duorum autem generum miscella alia tertia secundum
 „speciem evariat, quam et innumerabiles miscelae mo-
 „di in eo, quo magis et minus alterum genus super-
 „at et superatur, reperiuntur. At duorum generum
 „alterum quidem sit superante natura, alterum vero
 „superata. Et superante quidem, sicut in inflammata
 „tionibus et similibus collectionis tumoribus omnibus
 „pus : in humoribus autem, qui in venis atque arte-
 „riis continentur, quoddam, quod puri proportione re-
 „spondet, subsidens in urinis. At talis quidem putredo
 „existit, sed aliquid in se continet coctionis. Nam ad-
 „huc vi coquendi vasorum remanente, qui interim pu-
 „treficit humor, ad talem pervenit alterationem. Sed
 „et alterum est putredinis genus, cum ea vis, cui co-
 „quendi officium est demandatum, adeo imbecillis fac-
 „ta est, ut nullam amplius facere possit in putrescente
 „superfluitate ad optimum transmutationem. Quod
 „quidem usu contingit nonnunquam, cum eadem vis ad
 ultimum imbecillitatis pervenerit, etiam si id, quod pu-
 „treficit, mediocriter sit vitiatum: interdum vero fieri
 „potest, ut vis quidem ipsa non omnino sit imbellis,
 „humor vero putrescens maxime sit vitiatus. Hujus
 „superfluitatis putredo, neque consistentiam, neque
 „aut colorem aut odorem habet unum, sed semper se-
 „cundum substantiam permittatur, ac multis modis eva-
 „riat illud, quod putrescit. Altera autem putrefactio,
 „quam et coctionem esse diximus, semper ad unam
 „puris speciem terminatur, coloreisque ac consistentiam
 „fuscipit et odorem. Superante igitur integre ipsa na-

„tura, optimum fit pus conspectui album, et crassum
 „et quaqua versum sibi simile, lene autem tangentia, ac
 „minime foetidum. Si vero semiputridum fuerit, ter-
 „tium in tali transmutatione genus, quod paulo ante
 „diximus, fit. Dictum vero et illud est, quod multi-
 „forme hujuscemodi genus existit: nam in eo, quod
 „magis et minus suscepit coctionem, est innumerabilis
 „differentia. Saepius enim, cum colore album factum sit,
 „vel foetidum odorem, vel tenuem substantiam obtinet:
 „saepius vero non album appareat, sed lividum: atque
 „in his omnibus magis ac minus infinitis modis evariat.
 „Quocunque vero in abscessibus putredinis sunt diffe-
 „rentiae, totidem et in febris, quae ex putredine ac-
 „cenduntur, sunt eorum, quae in urinis apparent, for-
 „mae. Optima vero urina, quae ab exputrescente hu-
 „more, coctionem a continenti vase fuscidente, perfic-
 „titur, est, quae album et lene et aequale et minime
 „foetidum sedimentum habet: pessima autem est, quae
 „in omnibus maxime contrario modo se habet: quae ve-
 „ro intermedia existit, quanto propius ad alteram, acce-
 „serit, tanto aut melior aut deterior existit.“

In febre putrida minime veram putrefactionem ad-
 esse, inter recentiores extra dubium est. Magnus BOER-
 HAAVE p) idem perhibet his verbis. „Synochus putris
 „dicta fuit, quae debetur causis inflammatione simplici
 „majoribus.“ Ipsius incomparabilis commentator Van

p). Aphorism, de cognosc. et curand. morbis §. 730.

SWIETEN q) hic animadvertisit, veteres non tam putredinem aut corruptionem intellexisse, quae in cada veribus sponte exoritur, sed insignem potius a naturali sua crassi mixtione discessum. Idem perhibet LUDWIG r): „Vera quidem, dicit, putredo in humo-
„ribus non est, sed perversa quaedam mixtio, quae
„crassis sanguinis et humorum inde deductorum ab
„initio resolvit, et simul solida ipsa destruit, motus
„que elasticos et vitales infringit; nec vera semper
„inflammatoria est diathesis, quippe quae validam so-
„lidorum resistentiam requirit.“ Ejusdem sententiae
est LIEUTAUD s) qui febri putridae talem sanguinis
tribuit depravationem, ut quidem ad alcalescendum
fiat pronior, non vero putrefaciat; negatque in ea reli-
quos etiam humores unquam putredinis notas contra-
here, praeterquam tum, cum e corpore egressi, calorem
motumque amittant, aërisque actioni subjiciantur.
BURSERIUS DE KANILFELD t) quoad ea, quae hanc
in rem differuit, monitum lectorem vult, quotiescum-
que inveniat adhibitam a se putredinis vocem, non
veram et perfectam sanguinis putredinem, aut cor-
ruptionem sumi, sed imperfectam, et quandam potius
ejus ad colligescendum proclivitatem. Sic, quando

q) L. c. T. II. §. 730. pag. 419.

r) L. c. P. I. Cap. I. §. 241. not.

s) Synops. universi praxeos med. Lib. I. sect. I. pag. 13.

t) L. c. Vol. I. §. 249. not.

febrem aliquam putridam vocaverit, eam, rogat, intelligamus, in qua sanguis nimium disfluat, vixque cohaereat, et proinde ad putrescendum paratisimus sit. WILLIAM GRANT in laudato libro ^{u)} inquit: „The meaning of the word putrid, applied to dis-, seases then, differs in some degree from the common „acceptation of it, when applied to dead bodies, in „as much as it arises from a certain morbid disposi- „tion of the humours, brought on by various causes; „which state, although it cannot be called truly putrid „before death, yet in some cases, approaches it as „nearly as is consistent with life.“ Nemo sane, quin tantorum virorum observatis omnem fidem denegare praesumat, inficiatum ibit, posse humores, qui continua- nū in circulum aguntur, unquam in perfectam pu- tredinem abire.

Est ergo haec dissolutio humorū putri- da, quam hic intelligamus, non vera, perfecta ac ab- soluta putredo, quae in fluidis corporis humani praefecto est, quamprimum per se quieta, temperato calori, aë- risque accessui exponuntur, quoque mox disfluent, odo- rem et halitum alcalinum volatilem, tetrum, naturae humanae maxime inimicum exhalant: quave mixtio ipsorum naturalis, penitus destruitur, partesque vo- latiles dissipantur. Vera haec putrefactio humorum oboriri non potest, donec stantibus adhuc viribus vi- talibus, per vasā continuo circumaguntur.

^{u)} Pag. 256.

Experimentis Cel. PRINGLE, MACBRIDE, GABER, in primis vero BOISSIEU, evictum est, humores animales, praeprimis sanguinem extra corpus quoque prius colligescere, disfluere, et cohaesione te- nacitatemque partium, qua in statu secundum san- tatem vigent, amittere, quam veram putredinem subeant.

Dissolutio humorum putrida, quae obvenit in febribus putridis, primus ergo est gradus incipientis putredinis, seu potius pronitas ad putredinem; non vero putredo ipsa.

§. II.

Symptomata febris putridae pathognomonica, et
cadaverum dissectio probant putridam
humorum dissolutionem.

Hanc putridam humorum dissolutionem (§. 10.) probant praecipua ac pathognomonica febris putridae symptomata, e. g. anima foetida *v*), sanguis dissolu-
w), cito putrescens, urina ruberrima *x*), nigrum sedimentum deponens, sudores olidi, haemorrhagiae

B 2

v) Cullen l. c. Vol. I. p. 144. 3.

w) Id. ib. a) et pag. 167.

x) Vrina rubicunda, inquit van Swieten (l. c. T. II. pag. 434.) demonstrat humorum degenerationem in acrimoniam putridam et tenerimorum vasorum destructionem.

narium; petechiae, citissima cadaverum putrefactio γ), sphacelus et gangraena intestinorum α). Cetera symptomata nervosa, partim e miasmate admissa, partim e morbo evoluto et producتو, originem trahunt.

Constitit ex observationibus plurimis optimorum medicorum, in cadaveribus febre putrida defunctorum apparuisse indicia ea, quae viscera, praembris ventriculum et intestina omni muco destituta, inflammata, sphacelata, corrosa docerent quam manifestius. Haec autem in intestinis phoenomena egregiam omnium humorum partiumque solidarum resolutionem innuerunt, clarissimos medicorum viros habeo consentientes α).

§. 12.

Quae indicantur in febre putrida.

Perpensis iis, quae a Spho 3. ad §. 11. diximus, iisque probe consideratis, luculenter patere existimamus.

γ) Huxham I. c. T. II. pag. 57 Hillay's Beobacht. über die Veränderungen der Luft und die damit verbundenen epidem. Krankheiten auf der Insel Barbados etc. a. d. Engl. übersetzt von Ackermann Leipzig. 1776. 8 p. 182.

α) Cfr. Cullen I. c. T. I. pag. 69. sqq. et Brocklesby I. c. pag. 140

α) Fr. Hoffmann I. c. T. I. pag. 85. sqq. §. 7. Max. Stoll Rat. Med. Vindob. 1777. 8. P. I. pag. 223. et var. loc. Reil's Krankheitsgesch. des sel. Oberbergraths Goldhagen, Halle 1788.

stimum, sanguinis massam et reliquos inde secretos humores ad corruptionem putredinosam pronus esse ac dissolutos. Facile itaque nunc erit, justas, naturae indolique hujus febris adaequatas, et bonis artis nostrae principiis fulcitas formare indicationes. Absolvuntur autem sequentibus:

- I) Sordes primarum viarum, si quae adfunt, evacuentur;
- II) Crafis humorum, sive resolutio putrida vel emendetur, vel ipsi resistatur,
- III) Navetur opera, viribus vitae sustinendis.

Ordo nunc quidem exigeret, ut mox hic loci de Indicatis fusius agerem: verum tamen ut ea, quae de his dicenda duco, magis illucescant, prius de viribus naturae medicatricibus, de crisi et ceteris hoc pertinentibus sermonem faciam.

§. 13.

Vires naturae medicatrices.

In nullo, si febres nervosas exceperis, facile morbo, valet minus illa tam benigna atque salutaris a medicinae patre et principe Hippocrate, sic dicta medicatrix naturae vis, quam in febribus putridis. Ratio constare videtur. Ad quamcumque enim conditionem et crisi febris procreandam, vires requiruntur, quibus vel absentibus, vel stupentibus nulla

coctio, nulla crisi locum habere potest. In febris autem putridis omnes prostratae jacent vires quam maxime, (§. 4.) coctionemque natura validius moliri videtur: quis itaque non videt, artis opus hic summas obtainere, ipsiusque esse, naturae locum ut suppleat, quippe quae sola ad morbum debellandum non sufficit. Inde recte Perill. von ZIMMERMANN b): in gravibus putridis evacuationem numquam soli naturae esse committendam monet, multoque melius evacuare artem, quam naturam. Idem confirmat GRANT c) dum ait: „For the solids being relaxed and the nerves sluggish, they are often deficient for the purpose, and sometimes wholly wanting.“ Evidem febris ipsa, quam natura procreat, seu potius, quae ex irritatione humorum, quoad crasis et sanam mixtionem depravatorum, oritur, dissolutionem humorum utpote proximam morbi causam, non tollit, immo auget. Tantum ergo abest, ut vires naturae, et vasorum in humores dissolutos reactio, morbo mederi possint, ut potius magis magisque succumbant ac destruantur sua ipsarum vi.

§. 4.

Crisis.

Sudorem maximam criseos partem in febre putrida absolvere, HUXHAM d) cum aliis observavit.

b) Von der Ruhr unter dem Volke, Zürch, 1767. 8. pag. 28.

c) L. c pag. 438.

d) L. c. T. II. pag. 113 148.

Sed et *urina*, licet rarius *e)* critica observatur. Ill. *SELLA f)* inquit: „Gemeinlich wird es durch Schweiß und Urin entschieden“. Observatis non destituimur, etiam excretiones alias et metastases, v. c. ad parotides, criticas inventas, et sine ulla manifesta crisi saepe solutas fuisse. Omnino tamen hic recte dubitemus, an febris, solis viribus naturae commissa, salutari crisi unquam solvatur, aut dejectiones et evacuationes, quas viri laudati observarunt criticas, sine medicaminum effectu revera prodierint.

§. 15.

An petechiae, ceteraque exanthematha, haemorrhagiae etc. criticæ?

Iam ad disquisitionem gravioris momenti me converto, videlicet, num criticæ sint petechiae, ceteraque exanthemata, num haemorrhagiae, num diarrhoea, an fecus? Maxime operae pretium quum sit, id nosse, de singulis, quid veritas jubeat, videamus. Symptomaticas eas esse, facile evincitur; contrarium difficulter. Incipiamus a petechiis, de quibus maxime dissentient Medici. Ad crisim vel perfectam, vel imperfectam requiritur: ut morbi vel levamen inducat, vel illum ipsum plane solvat; tum ut post signa coctionis die critico, seu crisibus solenni, sequatur; denique ut materiam

e) S. G. Vogel l. c. T. I. pag. 380.

f) Medic. clinic. pag. m. 23.

morbi causalem e corpore eliminare valeat. Petechiae vero et reliqua, quae in hac febre occurunt, exanthemata, quum a stasi sanguinis dissoluti, in vasorum extremitates harumque ob tenuitatem in telam quoque cellulofam profilientis, originem trahant ^{g)}, nullam materiem e corpore eliminabunt. Porro, quum ad finem plerumque morbi, viribus sumnum prostratis, nec ut crisi moliantur, aptis, prorumpere soleant; immo quum ex certis observatis sciamus, numquam morbum his exanthematibus prodeuntibus sublatum vel saltim mitigatum fuisse; jure concludi credam: petechias, ceteraque exanthemata, qualia sunt maculae lividae, parvae, instar stigmatis pulicium, purpura, vibices rel. (§. 4.) in febre putrida semper symptomatica, nullatenus vero critica obvenire. Sententiam nostram auctoritas clarissimorum virorum probabiliorem firmiorumque reddit. Etenim FRIDERICUS HOFFMANN „Tantum hinc abest, inquit, ut maculae hae (de petechiis loquitur) salutis spem faciant, ut potius, quo copiosiores erumpunt, eo majorem corruptionis gradum, quin lividi, sphacelosam corruptionem arguant“. Consentient viri undique doctissimi, RICH, MEAD ^{b)} THOM. SYDENHAM, ANTON de HAEN ⁱ⁾, quorum posterior fusius de hoc exanthemate loquitur, omnibus-

^{g)} BILGUERS Versuche und Erfahrungen über die Faulfieber und Ruhren etc. Berl. 1782. 8. f. 33.

^{b)} Monit. et pracept. medica C. I. p. 4.

ⁱ⁾ Rat. medendi Tom. VIII. Cap. III.

que, quae ei factae sunt, oppositionibus, quam doctissime respondet. Inter alia, quae nostram probent sententiam, sic fatur k): „Convictus sum magis magisque „de tanta exanthematis hujus, veluti critici raritate; ita „ut vix criticam dari, sponteque generatorum exanthe- „matum pleraque ac fere omnia symptomatica esse; cete- „rum symptomaticorum in Germania numerosissimorum „pleraque esse factitia, audacter statuam.“ RUD. AUG. VOGEL l) petechias tanquam criticas eruptiones intueri haud permittit, cum non levent morbum, sed potius exasperent. WILLIAM CULLEN m), et semper petechias symptomaticas esse, affirmit. I. N. PEZOLD n) exanthemata, petechias nimirum aequae ac miliaria, criticis evacuationibus numquam adscribenda esse docet. CAROLUS STRAC o) per experimenta se edoctum afferit, petechias non posse tanquam criticas eruptiones spectari: quoniam ubi hae apparuerint, febris ipsa et exarsit magis et ipse morbus pejor exsistit. Ill. SELLE p) licet minus definite mentem aperiat, dubitare tamen omni-

k) L. e. Tom. VIII. pag. 108.

l) Praelect. de cognosc. et curand. c. h. affect. Gött, 1772. 8.
pag. 109.

m) L. c. T. II. pag. 104.

n) De Prognosi in febribus acutis Lips. 1771. 8. p. 23.

o) Observat. med. de morbo cum petechiis. Carlosr. 1766.
8. pag. 36.

p) Medic. clinic. pag. m. 123, et Rudim. Pyretolog. methodicae.
Berol. 1789. 8. pag. 177.

no videtur, an criticæ sint, dicens: „Sie sind äußerst „selten, und fast niemals kritisch.“ Cl. denique BERGIUS *q*), pluribus argumentis ostendit, peticulas semper esse symptomaticas: 1) Peticulae quippe, ut inquit, summam habent similitudinem cum purpura miliaria rubra, quae semper symptomatica est. 2) Eruptione peticularum facta, non minuitur febris, quin immo cuncta symptomata augentur, siuntque graviora. 3) Non omnibus eodem morbo laborantibus peticulae erumpunt, et quibusdam, etiam si eruperint, cito evanescent, quin ullum detrimentum, aut quidquam deterritus consequatur. Immo non nulli feliciter convalescent interdum, antequam peticulares maculae prorsus decesserint. 4) Catharticorum, et regiminis refrigerantis usus in hujusmodi exanthemate maxime utilis deprehenditur, quod putridos humores expellit, putredinique coercendae valet. Utrumque praesidium noceret, si peticulae primarium morbum facerent: nam earum aut eruptioni se opponeret, aut jam ad cutim propulsas introverteret: unde pessimae, lethalesque metastases hominem interficerent.“ Mitamus alios, qui eas saepe arte productas notarunt. Sed et haemorrhagias esse symptomaticas, testantur autores sive dignissimi. Clarissimus, et nunquam satis laudandus SELLE *r*) Haemorrhagias in febribus putridis sere nunquam esse criticas, et rarissime cum euphoria succedere, do-

q) Act. acad. scient. Suecic. Vol. XXVIII, pag. 326.

r) Rudim. pyretolog. pag. 188. sqq.

cet, eo quod plerumque ex dissolutione oriuntur, atque morbi gravitatem declarant. FR. HOFFMANN in eandem abit sententiam, scribens: „in febribus exanthematicis, vel etiam malignis, ubi summa virium proportionatio accedere solet, narium haemorrhagia, monstri aliquid alit semper, viresque magis adhuc dejiciendo, et sanguinis ad corporis superficiem cursum una cum materiae peccantis expulsione minnuendo, periculum adducit gravissimum“. De diarrhoeis, dum ex eadem causa, a dissolutione scilicet sanguinis et atonia vasorum ortum ducunt, quin morbum tollant, idem vallet. Cl. PEZOLD ^{s)} dicit: „de haemorrhagiis scient, dum eas in putridis - febribus solidorum aequa ac fluidorum resolutionem et periculosissimum aegri statum denunciare“ Nec cl. TISSOT ab hac sententia abhorret ^{t).} Parum itaque differunt neoterici hi, qui critica haec symptomata esse contendunt, a veterum illa opinione, qui venenum per exanthemata, quae naturae dicebant molimen, per cutis poros expelli somniabant.

§. 16.

Malignitatis et alexipharmacorum notio.

Quoniam adeo confusa res est illud nomen malignitatis, ut non sit idem ejus apud cunctos intel-

^{s)} L. c. p. 83.

^{t)} L. c. pag. 23. 153 Cfr. quoque Hillary l. c. p. 151. 152. Schroeder Opuscula medica cur. Ackermann Vol. II. p. 23. v. Swieten l. c. T. II. p. 421.

lectus, cumque difficultissimum sit, quid hoc nomine intelligamus, decernere, expediet, quid recentiores hac appellatione senserint, quidque denique nos sentiamus, paucis excutere.

Veteres medici hoc nomine nostram febrem putridam ita subintellexisse videntur, ut cum nervosa, aliisque, quas magna virium prostratio comitatur, communiant. Fingebant venenum quoddam causam materialem febrium putridarum, quod vel extinguendum, vel a corde extra corpus per cutis poros expellendum certis medicamentis statuebant. Hac itaque hypothesi inducti, nullam meliorem medendi rationem adhiberi posse consequebant illa, quam alexipharmacis sic dictis absolvi persuasum habebant. His alexipharmacis vim tribuebant quandam specificam, quae malignitatis labem deleret. Constabunt autem ex aromaticis acrioribus, ex spiritu vini et opio. Quam longe autem aberrarint a fine, eo quod magis vitia, quae dicunt humoralia, producebant, quis est tironum, quem fugiat? Quantam itaque huic methodo genus humanum stragem debeat, jam Anglorum Hippocrates, magnus SYDENHAM u) bene animadvertisit, hujus de malignitate (sive notionem sive verbum dixeris) opinionis inventionem humano generi longe ipsa pyrii pulveris inventione lethaliorem pronuntians: cui quoque Viro jure competit nomen restauratoris methodi antiphlogisticae. Aliam quidem neo-

u) Opera medica. Genev. 1769. 4. T. I. pag. 370.

terici ingressi viam in sanandis febribus putridis sibi videntur; at quatenus ab ea veterum discedant, in sequentibus dissertationiculae pagellis fusius perscrutari animus est. Insistamus interea adhuc paullulum verbo malignitatis! Quidam recentiorum medicorum nomen hoc tribuant omnibus febribus, quae ipsis vel ignotae, vel quae iis periculi plenae obveniunt: confundunt malignas ac putridas et promiscue his denominationibus utuntur ^{v)}. Commoda sane morbos ejusmodi tractandi ratio! Aliis porro febres malignae sunt eae omnes, in quibus ne ulla quidem indicia nec inflammationis, nec putredinis, nec cordium primarum viarum, vermiumque adsunt, quaeque sine ulla causa materiali apparente, a sola systematis nervosi debilitate ac irritabilitate pendent, per subtilissimam quamdam, nos vero hucusque latentem acrimoniam producta. Sunt illis itaque febres malignae, quae nobis febres nervosae. Parum autem, qui sic malignitatis verbum statuunt, a veterum opinionibus discrepare videntur. Veram causam malignitatis putredinem constituere, testatur FR. HOFFMANN. Quis est, qui me vituperet, si cum immortali MAXIMILIANO STOLL ^{w)} afferam, nulla dari pathognomonica malignitatis signa, nullamque ejus definitionem condi posse, nec ullam existere malignam febrem, quae specifica sit, et sui generis? Si quidem collectae febrium malignarum historiae id evin-

^{v)} Siegwart febris malignae pathologia, Tübing. 1768. 4.

^{w)} L. c. P. II. pag. 22.

cant. Hinc alia habetur in alio homine maligne febricitante malignitatis ratio, et notio alia, alias etiam in aliis medendi modus: sua cuivis peculiaris malignitas est, suaque methodus therapeutica. Convenit vero febri putridae, proh dolor! saepe saepissime, *κατεξοχην* febris malignae denominatio, et quidem, si quaevis symptomata primitus opinione graviora emergunt, aut insolita subito se fistunt, v. c. ingens ac simultanea praesentium virium vitalium prostracio, aut si optima, selectissimaque medicamina penitus sua efficacia destituuntur, aut plures, quin vel medicus, vel aegroti vel ipsis infervientes quidquam peccaverint, e vita discedunt, et discedunt, ut Thucididis in pestem olim Athenis graflantem verbis utar, cum et sine Medico.

§. 17.

Quae sint indicata in febre putrida?

Praemissis nunc iis, quae causam febris nostrae primariam, dissolutionem scilicet humorum et sanguinis, tanquam fontem omnium fere hujus diri morbi symptomatum clarius probant, ostendunt, et contra omnes objectiones defendunt, ad dijudicanda, quibus morbo mederi student medici, indicata convertimur. Ad bene vero feliciterque febris putridae instituendam medendi methodum, requiruntur medicamina, quae cuilibet indicationi (§. 12.) convenienter quam maxime. Verum enim vero, cum non sit nostrum propositum, peculiarem tradere huic febri medendi modum, pro

alia instituti ratione (§. 1.), paucis tantum attingantur ea, quae huc spectant indicata. Quae autem primae satisfaciunt indicationi (§. 12. I.) indicata, sunt emetica et clysmata. Purgantia nunquam admittenda sunt, nisi vires adhuc sufficient. At tamen nolo silentio praeterire monitum illud: quod maxima in genere egeant evacuantia in hac febre practicorum praecautione. Ratio lucide constat.

§. 18.

Continuatio. Antiseptica, quid?

Indicationi alteri (§. 12. II.) satisfit per antiseptica. Liceat mihi, antequam progrediar in disquisitione tanti momenti, antisepticorum notioni infestare. Modum a me excedi non censeam, si contendere ausim, ob falsam hujus verbi notionem hodie non minorem hominum numerum necari, quam olim illa alexipharmacorum veterum. Nititur autem hic tam lethifer error falsis Chemiae principiis, et falsa horum principiorum ad corpus humarum applicatione. Ill. GRANT ^{a)}) hunc errorem perspexisse videtur, dum scribit: „Some people have imagined, from the use that is made of the word putrid, to distinguish this from all other fevers, that the humours are previously in a state of putrefaction, and require such remedies as are found by experience to prevent meat from being tainted. This notion gave rise to the

^{a)} L. c. pag. 240.

common acceptation of the word antiseptic, and has been the cause of a great deal of that bad practice which has prevaild, ever since the science of chymistry has been preferred to the knowledge of diseases.“ Non desunt plurima exempla eorum, qui quibusdam medicamentis vim specificam tribuerent antisepticam, tanquam vim occultam et citra omnem explicationem sitam; alii vero ea remedia in febribus putridis indicata crediderunt, quae a corporibus, in putrefactionem pronis, hanc arcent, eorumque corruptionem compescunt. Omnino autem errant, [nec datur vis specifica antiseptica, nec singula remedia, quae contra putredinosam corruptionem corpora defendant, nostris febribus curandis adhiberi possunt. Dubio non subest, et certissimis experimentis comprobare licet, quod conditiones, quae ad procreandam et promovendam putredinem faciunt, et sine quibus haec existere nequit, sint: 1.) certus gradus humiditatis; 2.) calor supra coagulationis punctum quodam modo intensus; 3.) quies et 4.) aëris respirabilis accessus. Absentibus hisce conditionibus in corporibus organicis putredo praefto esse non potest; et omnia, quae adhibentur media, ne corpora corrumpantur putredine, in hoc redundant, ut dictae conditiones semoveantur. Hac ratione exsiccatio humiditatem expellit; gelu fluida in solida mutat: ergo humiditatem omnino tollit. Spiritus vini aquam attrahit, fibras constringit, et, si superfunditur

ditur corporibus, contra aëris accessum defendit. Per salituras humida detrahuntur, et minuuntur, atque exigua quantitas salis culinaris putredinem potius promovet, quam impedit. Infumatio quoque carnes efficcat; acidum aëreum, aër nitrosus accessum aëris respirabilis tollunt; acida concentrata humiditatem in se fuscipiunt, magna vi attrahunt et fibram coagulant. Conditura cum saccharo post difflatam humiditatem aëri accessum negat. Demum adstringentibus fluida coagulantur, fibrae constringuntur, humiditasque absorbetur. Palam ergo est, haec media, quibus corpora putredini subtrahimus, nullo modo vi specifica antiseptica agere. Sed olea aetherea, balsama, aromata, resinosa balsamica, nonne haec vi specifica contra putredinem gaudent? Minime; ^{y) et ego quidem credo,} medicos e perversa Chemiae applicatione hisce corporibus vim antisepticam perperam adscripsi, atque ad curationem febrium putridarum commendasse et commendare. Quis enim sic argumentabitur: Salitura carnem alias organica corpora contra putredinem defendit; ergo sal culinare est antisepticum? Conditura corporum in oleis et aromatibus, ac obductio eorum cum balsamis et resinis solummodo aëris accessum ab ipsis arcet, et hac sola ratione ipsa contra putredinem tueretur. Quis ergo non videt, illa remedia, quae in vita

^{y)} Cfr. Gilbert diss. de putredine animali § 13. Boerhaave Aphorism. §. 76. et van Swieten l. c. T. I. p. 114.

communi et alias adhibentur, ne corpora putredinem cito subeant, nec vi propria seu specifica antiseptica gaudere, nec promiscue adhiberi posse, ut dictae indicationi in febre putrida satisfaciant.

§. 19.

C o n t i n u a t i o .

Quum putrida humorum et sanguinis dissolutio, quae in febribus putridis obvenit, non vera et abso- luta sit putredo; illa remedia, quibus corpora non vi- ventia a corruptione putrida immunia servare contendimus, nequaquam omnia ad nostrum morbum appli- cari possunt. Potius ex indeole ac natura sanguinis ethu- morum in febre putrida luce meridiana clarius fluit, ea medicamina secundae indicationi satisfacere, quae dissolu- tionem humorum impediunt, eamque jam ortam tollunt. Haec indicata sola et sensu strictiori antisepticorum nomine veniunt, atque in ipsis omne levamen ac au- xilium ponendum est. Sunt vero haec indicata: 1) aci- dum vitrioli et alumem crudum; 2) adstringen- tia vegetabilia, inter quae cortex peruvianus, in quo vis adstringens principio salino ama- ro optime modificatur; et 3) spirituosa, ioprimitis analiptica, uti vina generosa. In hisce omnis salus est posita. Exercent vero dicta medicamina vim suam antisepticam cum per attractionem humiditatis, tum et praecipue per mixtionis humorum deprava- tiae salutarem mutationem: nam fluida dissoluta red-

dunt densiora, illaque coagulant, nondum vero dissoluta a dissolutione cohibent, constringunt solidam, magisque robur ipsis conciliant, atque hoc modo vires vitales mirifice augent. Cum vero limites transgredier et a scopo meo aberrarem, si conditiones et cautelas, sub quibus dicta remedia adhiberi debent, fusius proponerem, ad tertiam me nunc converto indicationem.

§. 20.

Indicatio tertia.

Indicationem tertiam (§. 12. III.) absolvunt ea, quae vim vitalem excedentem minuant, fibram muscularam blande stimulant, nerveumque systema incitant, vires fractas cito restaurant, statimque reficiunt, et refocillatas relinquunt, ita tamen, ut motu, licet concitato, calorem non augeant, sed auctum compescant minuantque. Excluduntur ergo ab indicatis ejus generis calefacentia et irritantia excitantia, quorum efficaciam non solum sequitur virium jaictura, sed quae aucto nimis humorum motu eos potius dissolvunt, atque hac ratione secundae indicationi e directo contraria sunt. Pertinent ad analeptica hic indicata:

- 1) Vinum generosum, in primis austерum, ut rhenanum, franco-gallicum, rubrum, spiritus frumentosus;
- 2) Acida dulcificata, e. g. liquor anodynus, naphtha vitrioli et aceti,

C 2

spiritus salis dulcis; 3) Acida vegetabilium austera, qualia sunt roob Myrtillorum, Vitis Idae; 4) Fragrantia, quibus accensemus roob et syrupum Rubi Idae, aquam Rubi Idae, aliasque.

§. 21.

Quid circa usum excitantium calefacientium et irritantium in febre putrida fentiendum?

Iam ad scopum dissertationis meae accedo, postquam superius causam febrium putridarum proximam, indicationes atque indicata primis, quod dicitur, labris tetigi. Atro quidem calculo notarunt recentioris aevi medici usum alexipharmacorum et bezoardicorum in febre putrida, qui olim in more fuit, acriterque in eos post THOMAM SYDENHAM invexerunt, qui medicamina hujus farraginis adhiberent. Sed quaeſo, cur condemnant nostrates alexipharmaca, qui ipsi extollunt similia calefacientia? Nonne sibi ipsis contradicunt hi adſtipulatores irritantium? Quum nostro in foro tanti valeat Autor, quanti ejus valet ratio, aequos rerum arbitros, penes quos est, theorias inanes atque ambiguas proscribere, meam operam haud aegre esse laturos, et si gravium virorum doctrinas impugnem, et quod in generis humani detrimentum vergant, proſitear — spero atque confido.

Primum interea inquiramus, an excitantia calefacientia et irritantia indicentur, nec ne? Haud difficile, me quidem sentiente, erit, quod omnino contraindicentur, evincere. Cujuscunque enim medicamentis irritantis actio in universum est: ut eo in loco, cui adhibetur, sensationem quamdam producat, quacum motus minimarum fibrarum, vasorum organorumque secretoriorum, immo totius corporis coniunctus sit: hoc ipso fit, dum haec medicamenta diutius in partem agunt, major humorum ad partem irritatam attritus, rubor, calor, tumor, dolor, immo et perinde inflammatio vera, secretiones et excretiones adaugentur, et saepe turbantur. Quare et medicamina ea, quae ope stimuli cuiusdam, efficaciam suam produnt, irritantia dicuntur. Gradu autem haec iterum inter se differunt, quo nempe vel intensius vel remissius agunt. Illa, quae stimulo pollent vehementiori, diutiusque durante, quo ipso solidorum motus acceleratur, atque impulsus validior redditur, humorumque circulo adacto, calor multo intensior producitur, audiunt excitantia seu calefacientia. Vidimus hucusque, et nemo facile nunc inficias ibit, in febre nostra adesse relaxationem solidorum, humorumque dissolutionem putridam: quae autem cum ita sint, sole, ut dicunt, meridiano clarissima est, abstinentia esse a talibus medicamentis, quae contra secundam indicationem certant, quatenus solidorum relaxatione aucta, adaugent etiam humorum crasis

putridam et subinde putrescentiam totius corporis. In scholis practicis semper edocemur: quando in febre putrida vires aegroti labefactatae sunt, excita, quantum potes. Bene quidem; sed quomodo debilitatem tollemus, nisi causa ejus sublata? Nonne autem summa haec virium prostratio a dissolutione humorum putrida derivanda est? Omnino ^{z).} Si ergo huic vel non occurritur, vel occurri per indicata jam adducta non potest; excitantia non solum non profundit, sed etiam nocent miserumque in orcum praecipitant. Sint, qui oggerant, moschum, serpentarium, camphoram et reliqua excitantia adhibita morbum facile jam periculosissimum manifeste sublevasse: quid probabunt, praeterquam quod vires adhuc latentes aegrum per miraculum quasi ab orci faucibus vindicaverint? Testis sit nobis SYDENHAM, cui praestantia istiusmodi curationis ex eo haud satis probatur, quod acuto morbo laborantes, ea adhibita, reconvaluerint. Etenim fuere, quod addit, qui insanissima vetularum ratione tamen a morbis periculosissimis reconvalescerent. Quae autem curandi ratio ut undequaque stabilatur, simul necessum est, ut morbus illa ipsa facile compescatur, suaque ipsius natura et quasi sponte terminetur. Addam denique, de quo mihi persuasum est quam maxime, quod multo rariores futurae essent mortalium strages, si medici practici methodum desererent, quae tam contrarios ab iis, quos

^{z)} Schroeder loc. cit Vol. II. p. 128.

intendunt, morbi dirissimi exitus producunt. Nemo mihi negabit, indicationem secundam, ut nempe dissolutioni sanguinis resistamus, primariam esse ad curationem feliciter absolvendam. Atqui motu per calefacientia excitantia aucto, circuitus humorum nimis augetur, reactio vasorum et fibrarum erga contenta fluida sit major, atque ita humores magis magisque dissolvuntur et liquefiunt. Excitantia ergo, quae calefaciunt, quae irritant, et sudores promovent, cane et angue pejora, et nostro in morbo omnino evitemus.

Alia mihi, quae inquiratur, hic obvenit quaestio, an scilicet excitantia proprie roborantia seu tonica dicenda sint? At canone illo, qui irrefutabilibus in physicis firmatur fundamentis, aslumto, et aslumento: unumquamque scilicet tensionem semper excipi relaxatione, quaestioni motae tam parum assentiri possumus, ut potius contendere necessum sit, ea contrarium effectum, puta relaxantem, producere. Certum enim est, excitantibus contra febres putridas adhibitis, saepe mirum in modum vires prostratas erigi; at transitorie tantum, et quae assidua eorum pedissequa est, dejectio virium, nervorumque relaxatio, in oculos mox cadit eo fortius. Nam eam, quae in febribus putridis notatur, relaxationem vitiatam iis tantum remedii tollimus, quae non solum irritant, sed modo etiam physico mixtionem fibrarum quadan-

tenus mutant, eorum gluten densius reddunt, easque ad omnes dimensiones decurvant, quo vis earum elastica adaugetur. Referuntur huc adstringentia et amaro - subadstringentia. Excitantia ad roborandum adhibita semper fere recusabunt eos, quos sibi pollicebantur Medici, felices morbi excessus.

§. 23.

Quid veteres nomine alexipharmacorum intelligi voluerint, patet ex dictis (§. 16.). Nec inde latet, quod secundum theoriam, quam de febre putrida effingebant, ab antiquissimis inde temporibus methodum alexipharmacam in omnibus febribus malignis exanthematicis, ad quas febrem nostram referebant, adhibuerint. Recentiores, alias omnem nostram laudem exsuperantes Medici, jam dudum vituperarunt hanc veterum agendi rationem, cui interea, quod ipsi jam demum insistant, est, quod miremur. Longissime quidem absimus, miasma quoddam, tanquam causam effervescentiae putridae in febribus putridis negare. Est autem haec materies miasmatica tam penitus humoribus commixta, ut quasi massam homogeneam referat, quo sit, ut vane contendamus, eam vel alexipharmacis, vel diaphoreticis, vel commovenitibus, vel narcoticis, sive extinguere, sive e corpore eliminare, nisi forsitan universam humorum miasmam, quae omnis infecta est, simul extrinsecam facere contenderimus. Miasma in humoribus quidem dissoluti-

onem putridam accedit: hac vero accensa, illa minime causa ejus proxima est, sed modo causam remotam efficit. In una putridae dissolutionis medela omne positum est auxilium: hac quippe sublata, tollitur causa, ipsiusque effectus, sive morbus. Cur ergo studeamus miasmati per colatoria expellendo, si hoc ipso causa non tollitur? Iuvabit, quae, quoad nostram sententiam, conferri quam dignissima videntur, adduxisse verba Cel. WILL. ALEXANDER a). „Ich bemerke blos noch, dass, so viel ich mich erinnern kan, in allen den faulen Krankheiten, die ich jemals zu behandeln gehabt habe, diejenigen Patienten sich am besten befunden, welche die wenigsten merklichen Auslerungen hatten; dass ich mich nicht besinne, dass jemals einer wieder sey gefund worden, wo starke Schweisse hinzu gekommen, und nur sehr wenige von denen, die täglich mehr als drei bis vier Stühle gehabt haben. Dieses lehrt uns, wie ich glaube, deutlich, dass diese Auslerungen wenigstens selten vermieden werden, ingleichen, dass man die Kür dieser Krankheiten fast einzig und allein durch alterirende Mittel zu bewirken suchen solle: denn, wenn eine Contagion in den Körper gekommen ist; so vereinigen sie sich in kurzem aufs genaueste mit demselben, und stekt alle Theile an; und wenn das

a) Medicin. Versuche und Erfahrungen a. d. Engl. Leipzig, 1773.
8. p. 54. fqq.

„Ganze so angegriffen ist; so mögen wir so viele
 „Theile davon wegnehmen als wir wollen, die
 „übrigen werden dadurch doch nicht gebessert. So
 „lange ein inficirtes Theilchen übrig ist, wird es
 „noch eine Kraft haben, alle die andern in eine ähn-
 „liche Natur zu verwandeln: und bedienten wir uns
 „blos auslerender Mittel; so würde, so lange wir
 „ein einziges Theilchen ließen, doch dasselbe noch
 „ein inficirtes seyn“. Alio loco *b)* diaphoresis, ait,
 in febribus putridis certe nocet. Cel. TISSOT *c)* in-
 quit: „Nocent in putridis gastricus diuretica et sudori-
 fica. Febrim enim augent, delirium, putredinem ge-
 neralem, malignitatem, petechias, mortem denique
 arcessunt.“

§. 23.

De Moscho, ejusque effectu et usu.

Sed speciale contemplationem exitantium cale-
 facientium, quae a recentioribus medicis male adhi-
 bentur, instituamus. Exordiamur a Moscho. Par-
 tes hujus medicaminis praevalentes, a quibus effectus
 illius pendet, natura esse aethereo - oleosas, monstrat
 Chemia, *d)* monstrat aqua olens, ab eo destillata, mon-

b). Loc. cit. pag. 160.

c) Diff. de febrib. briosis etc. Lauf. 1780. 8. p. 182.

d) F. A. C. Gren's systemat. Handb. der gesammten Chemie
 Halle 1787. 8. T. I. §. 383.

strat ipsa ipsius moschi corporumque, quibus admis-
tetur, odor penetrabilis. Partes vero ipsius oleosae sum-
me sunt penetrantes, quae stimulum in nervos cito
efficiunt, et insigni modo agunt. Moschum esse me-
dicamen irritans, nervos erigens, et effectum antispas-
modicum atque anodynnum exserens, nemo negabit.
Effectus ipsius secundarius, seu sequela irritationis,
quam profert, est, ut sudores potenter moveantur,
sanguinis profluvia pellantur, morbi et materiae, pre-
fertim exanthemata versus corporis peripheriam ducan-
tur. Vis ejus sopiaens et antispasmodica, quae ipsum
in febrium periculosis symptomatibus, e. g. in singul-
tu, tremoribus, spasmis, subsultu tendinum, deliriis,
anxietatibus a materia morbi, versus nobiliora de-
trusa, ortis, laudabile reddunt medicamentum: haec in-
quam sopiaens ejus vis, modo secundaria est, et effe-
ctus imminutae mobilitatis et sensilitatis systematis
nervosi. Lex enim, ut repetam (§. 21.) est, omnem
irritationem excipi relaxatione, irritationi proportiona-
ta. Superato enim irritamento, quod Moschus exita-
vit in corpore, sequitur atonia et imminuta sensilitas,
atque in hac sola positus est ipsius effectus so-
piens et anodynus. Tantum abest, ut Moschi usum
in affectibus nervosis et periculosis febris putridae
vituperemus, ut potius illum praestantissimi medica-
minis loco habeamus. Sed quaestio est: an ipse non
solum ad curationem symptomaticam, sed etiam ad
tollendam causam primariam et morbum ipsum recte
a recentioris aevi medicis in usum trahatur? Si Mo-

schus minima dosi adhibetur, refocillans, restaurans et analepticum est, et omnino indicatur per indicationem tertiam; majori vero dosi sit excitans calefaciens, aestum et sudores efficiens, quod minime in indicationes adlatas quadrat. Jam supra (§. 15.) argumentis et virorum gravissimorum experientia probavimus, exanthemata plurima febris putridae esse symptomatica, nec causam tollere, sed potius de magna humorum colligatione nos convincere. Putrida humorum dissolutio nequaquam per exanthemata solvit: ergo morbus hisce non abigitur. Male ergo adhibetur Moschus majori dosi, ut expellantur exanthemata tanquam morbi causa. Irritatione, quam tunc profert, incitat quidam fibram musculariem vasorum ad maiorem reactionem; sed aucto mox circuitu humores magis conquassantur, magis ad dissolutionem proni fiunt, magisque solvuntur, quo autem calor et aestus augetur. Minime ergo ad tollendam hanc dissolutionem Moschum conducere, sed eam eo potius augeri, in aprico est. Quod autem Moscho omnino insit vis potenter movens, exanthematica et pellens, HUXHAM aliique, quorum nomina inter eruditos medicos celebrantur, perhibent. Prior quippe dicit: *e)* Miram fane vim habet Moschus per cutim expellendi humores.

Egregie vero illi errant, qui Moscho vim anti-septicam adscribunt, quod supra (§. 18.) de omnibus

e) Loc. cit. Tom. I. pag. 306.

oleofis aethereis probavimus, quae, si intus sumuntur, plane destituuntur vi putredinem cohibendi. Demum nil in se habet Moschus, quo partes putridas absorbeat, seu earum mitionem ita mutet, ut putrefactione deinceps eripiantur.

Ex allatis ergo colligitur, Moschum in febribus putridis solummodo conducere in parva dosi tanquam analepticum ad indicationem tertiam absolvendam, porro etiam in curatione symptomatica symptomatum graviorum et urgentium nervosorum; illos vero omnino esse taxandos, qui majori dosi ipsum ad satisfaciendum secundae indicationi, seu ut antisepticum propinant, vel ipso exanthematum materias, pro febris putridae causa proxima false habitas, expellere student.

§. 24.

Serpentaria virginiana.

Inter medicamina, quae ut excitent, et putredini resistant, nostra aetate in primis celebrantur, referunt Serpentariam virginianam. Gaudet haec radix sapore acriusculo et amaricante, et odore camphoram redolente. Pericula chemica in ipsam instituta docent, illam oleum aethereum acre fundere; et omnes convenient, quod calefaciens, pellens, diaphoretica, diuretica, exanthematica et alexiteria sit, motum humorum augeat, solidat

stimulet, secretionesque per cutem promoveat. Propinant quoque hocce medicamentum potenter movens dosi satis magna, vel ad scrupulum unum in substantia, vel ad drachmas duas, immo ad unciam semis in infuso. Hand quidem ibo inficias, quod Serpentaria in febribus nervosis medicamentum sit tritum et praestans; sed in febribus putridis usus ipsius e falsa opinione de causa hujus morbi deque vis antisepticae indole irrepit. Si enim 1) ad vires alexipharmacas et diaphoreticas respicimus, palam est, vanam esse illorum expectationem, qui diaphoresi huic morbo mederi student, quiue expectant, exanthematicis solvi febrem putridam, quod superius jam probare contendimus. Cavendum potius est, ne tam potenter pellente, stimulante ac irritante remedio colligationem humorum et sanguinis, causamque morbi ipsam ageamus. Contra sanae therapiae regulas ergo peccant, qui scopo diaphoretico serpentariam in usum trahunt. Sed credo, Medicos per notionem morbi maligni seductos, illa remedia, quae in febribus nervosis conducunt, in putridis quoque, quae omnino maligni sunt moris, recte adhiberi posse, credidisse. Serpentariam interea tertiae indicationi satisfacere, seu instar analeptici et refocillantis agere, viresque vitales, non momentanee, sed magis perduranter, erigere, plane nego.

Quod vero 2) vim antisepticam attinet, quam multi iisque clarissimi viri ipsi tribuunt, eam ipsi in-

esse, ex aromatico ipsius qualitate perperam concluserunt. Corpora non viventia contra veram putrefactionem aromatibus quodammodo defendi quidem posse, scimus: sed quis inde ad corpus vivum et febrem putridam, in qua vera putrefactio non adest, concludat? Nil in se habet Serpentaria, quo dissolutioni putridae resistat, seu jam ortam tollat; sed e virtute irritante calefaciente potius vim ejus septicam in hoc sensu exseri credo.

§. 25.

C a m p h o r a .

Inter omnia vero excitantia remedia, male in febre putrida adhibita, et jam recensita atque adhuc re-censenda, nullum fore credo, quo frequentius atque in majus aegrotantium detrimentum abuterentur Medici, quam Camphora. Peculiaris haec, solitaria ac sui generis materies, natura est aethereo - oleosa, perinde irritans, calefaciens ac summum excitans. Irritare et calefacere camphoram, vasorum, quibus applicatur, turgescere et rubedo declarat: et eam in sanguinem resorberi, alia experimenta in ranis facta probare videntur. Ob volatilitatem suam eximiam corpora facile penetrat, et irritamentum, quod in fibram animatam nervosumque systema efficit, quodque mox stupore excipitur, atque imminuta eorumdem mobilitas, effectus Camphorae primarius est, et celerrime transiens; adhaec sopiens et antispal-

modicus hic ejus effectus est tantum sequela irritamenti illius celerrime transeuntis: at quae eum sequitur relaxatio, effectus ejus secundarius est. Sunt Medici, haud equidem pauci, qui Camphorae adscribunt vim refrigerantem; verum contra omnem experientiam, et sana physices principia. Huic opinioni faventes Viri non attenderunt ad effectum primarium, quippe qui transitorius est, sed jam finita ejus efficacia, effectum secundarium facile pro primario habebant. Itidem multi, iisque celeberrimi Medici magnam Camphorae tribuunt vim antisepticam specificam: quam autem non dari, haud levibus argumentis commonistravimus. Praeterea veram Champhorae naturam veluti calefacientem, excitantem et diaphoreticam contemplamus: quis ergo eam antisepticam dicat? Interea verum sit, quod Camphora carni admixta a putredine eam removeat; attamen valde in regulas logices impingere mihi videntur ii, qui, quod jam alibi monuimus, inde quidquam in corpus humanum vivum concludendo inferunt. Quomodo enim substantia, qualis est Camphora, quae celerrime e corpore, praefente calore animali, avolat, dissolutionem putridam cohibeat? Profecto adauget potius humorum colliquationem per vim suam subito irritantem, et quae eam sequitur, relaxationem. Haud equidem nego, Camphoram parva dosi adhibitam in febre putrida, valere, vim vitalem momentanee elevando: minime autem causam hujus febris, putridam puta dissolutionem, solvet.

vet. Magna econtra dosi data, non solum irritamen-
tum ejus magnum, sed etiam subsequens relaxatio,
certe certissime contraindicata erit in hoc morbo. Ade-
de his demum vim ejus diaphoreticam, et ex-
pellendi exanthemata, quaetamen, quo crebriora,
eo majorem monstrant humorum dissolutionem. Vim
dictam ei tribuunt WERLHOF, HUXHAM, de HAEN,
PRINGLE, FR HOFFMANN, rel. His perpensis sane
non est, cur dubites, quin Camphorae malus fiat usus
in febris putridis. Quamobrem etiam eruditii Medici
VRATISLAVIENSES f) et R. A. VOGEL Camphoram
in febrium malignarum curatione jure meritoque exu-
lantem volunt; posterior paeprimis, qui naturam g)
ejus calefacentem his verbis indicat: „Camphora ob
„igneam suam naturam nec mihi placet, nec aegris eam
„placere aut multum prodesse video. Et certe, curatio-
„nem fine hoc igne quam felicissime absolví posse,
„millesies compertum habeo.“ Et patri filius clarissimus,
S. G. VOGEL, licet eam non plane respuat,
assentit tamen, et diffidere ei videtur, dum in suo
therapiae specialis eximio opere h) cuius continuatio-
nen ac sinem avidius desideramus, dicit: „Ich bin
überzeugt, dass der Kampfer mit schneller Kraft das
Blut nach dem Kopfe treibt, den Umlauf des Geblüts

f) Histor. morb Vratislavienſ, in Epidem, ann. 1699.

g) L. c. pag. 33.

h) Tom. I. pag. 40), fqq.

fehr beschleunigt, und darum fehr oft zum größten Nachtheil des Kranken gemisbraucht wird. Auch vertragen ihn einige gar nicht: bei einigen erregt er Zuckungen: bei Unreinigkeiten der ersten Wege bekommt er niemals.“ Vires camphorae calefacientes et narcoticas cel. experimentator ALEXANDER i) experimentis in femet ipso cum vitae periculo institutis, expertus est. Adjungo denique verba cel. MÖNCH k) quae mea facio: „Den Kampfer sollte man nie als ein fäulnisswiderstehendes Mittel aufzeichnen. Er ist es nach meinen wenigen Einsichten gar nicht, auch nicht im allerweitläufigsten Sinn. So aber werden unsre Begriffe von der Wirkung eines erhitzen Mittels, und auch die von der Fäulnis verworren.“

§. 26.

V a l e r i a n a .

Et Valeriana officinalis a pluribus recentioris aevi Medicis in febre putrida adhibita, laudibus extollitur: quonam autem jure, nescio. Profecto ob vires, quas omnes materiae medicae scriptores Valerianae attribuunt, eam e therapia hujus morbi prae-

i) L. c. pag. 110. sqq. Cfr. quoque ill. Murray Arzneivorrath. Braunschw. 172. T. IV. p. 518.

k) Systemat. Lehre von den einfachen und gebräuchlichsten zusammengesetzten Arzneimitteln. Marburg. 1783 in Praefatione.

scribet quivis suae artis probe gnarus. Etenim 1) ob vim suam excitantem ac diaphoreticam seu alexipharmacam, quod febris putridis non conveniat, per ea, quae supra de Serpentaria (§. 24.) diximus, comprobatur. 2) Non defunt quidem plures, qui vim Valeriana antisepticam celebrant: sed nescio, unde repetatur haec vis, quin eam a principio salino amaro, quod tamen, ex supra dictis contra putredinem non valet, derivemus. Doleo sane, quod amicum dilectissimum, Ill. D. v. ACKERN *l)*, qui nuperrime suo in specimine inaugurali Valeriana vires antisepticas nimiis celebravit laudibus, erroris non incusare non possum. 3) Vi sopiente et nervina Valerianam omnino pollere, concedimus, quum sequela irritamenti illius subito agentis sit; at aperte contra tertiam foret indicationem, ea adhibere medicamina, quae debilitent vim nerveam, minuantque vires vitales earumque vim, nisi singularia id requirant momenta. Ad comprobandum meam de noxio Valeriana atque antecedentium medicaminum in febre putrida usu sententiam, liceat adjicere Ill. GRENI verba, quae facit in libro pharmacologico *m)*, qui sub prelo adhuc fudat, et cuius mihi primae plagulae ad manus sunt: „Bey faulichten Fiebern,

D 2

l) De Valeriana ejusque charact. viribus atque effectibus. Hal.
1789 8.

m) Pag. 150.

inquit, „wird der Baldrian, wie der Moschus
„offenbar containdicirt, wegen seiner auflösenden, ver-
„diinnenden, reizenden Kräfte.“ Alio loco ⁿ⁾ sic fatur:
„Der Misbrauch der Excitantum, als Antiseptica be-
„trachtet, scheint izt immer mehr einzureissen; ob-
„gleich weder Baldrian, noch Schlangenwurzel, noch
„Moschus, noch Kampfer die wahre Resolution des
„Bluts, die wir fauliche Beschaffenheit nennen, auf-
„zuheben und zu mindern vermögend sind.“ Moni-
„tum tunc addit: „Möchte ich doch durch diese Be-
„merkung etwas beitragen, die praktischen Aerzte
„aufmerksamer zu machen, eine Kurmethode zu
„verlassen, die bei allem Rühmen und Lobpreisen
„durch tägliche traurige Erfahrung an so vielen Op-
„fern derselben widerlegt wird o).“

§. 27.

Spiritus Mindereri.

Edocemur Chemicis, spiritum Mindereri
esse sal ammoniacum volatile, ex aceto atque alcali
volatile compositum. Ex his, quod credo, omnes
n) Pag. 65.

o) Veritas hujus moniti paulo accuratius perpenfa, me impul-
lit, ut eligerem istud thema in dissertationem inauguralem.
Quap opter non possum non grato animo profiteri, quan-
tum debeam fere quotidiana, quam Praeceptor venerandus
mihi benignius conceffit, consuetudini, dum elaborandis
hisce pagellis incumberem.

materiae sic dictae medicae scriptores, jure meritoque ei tribuunt vim pellentem diaphoreticam. Falsa autem illa, et jam centies repetita opinio, qua virosam sui generis materiem per sudores expellere statuitur, et hic Medicos impulit ad hujus medicaminis usum in febre putrida. Est vero potius remedium quam maxime solvens, simulac diluens. Quid, quod pro sana medendi ratione illud contraindicatum appellemus?

§. 28.

Spiritus Cornu Cervi simplex.

Spiritus Cornu Cervi usus in febre putrida et ab illis tantum Medicis, quibus nulla alia, quam methodus alexipharmacæ in hoc morbo ad oculos est, comprobari potest. Ob partes, quae ei insunt, alcalinas volatiles, sumnum potius se probat solvens atque diluens medicamen, quod nullo modo quisquam in usum vocet, quum causam morbi proxime adaugeat. Partes ei inherentes oleofæ empyrevmaticæ, ostendunt id eo magis ut medicamentum summe commovens, quod, uti jam plures demonstratum est, nostra in febre locum habere nequit.

§. 29.

Spiritus Cornu Cervi succinatus.

Quod de spiritu Cornu Cervi simplice dictum est, valet etiam de spiritu ejusdem succinato,

qui, licet naturam salis medii habeat, semper tamen diluens atque incidens remedium manet, et ob partes suas empyrevmaticas oleofas tanquam maxime pellens sese offert. Comprobat haec et quae in antecedentibus binis paragraphis occurunt, dicta HUXHAM, quando diversis scriptorum suorum locis salium alcalino-volatilem usum in febribus putridis proscriptit, afferens *p*) „ea sanguinem dissoluere, calorem augere, fibras debilitare et relaxare; „et in vere putridis, pestilentialibus et petechialibus „febribus aegrotis salia alcalino-volatile exhibere, „nihil aliud esse, quam oleum camino addere: haec „enim profecto sanguinis globulos resolvunt aut diffringunt, indeque eo citius universam inducunt putredinem.“ Alio loco *q*) Sales alcalinos volatile et spiritus, ut dicuntur, respuit prorsus. Ill. PÖRNER *r*) inquit: in febre quacunque, in putridis morbis, etiam levissimis, in dissolutione humorum certe nocent alcalia volatile et salia volatile oleosa liquida. Cl. FRANCIS MILMANN *s*) ab illis, quae secundum PRINGLE putredini resistunt mediis, inter alia praeprimis salia alcalina volatile et fixa jure

p) L. c. T. III. pag. 119 sqq. 125.

q) T. I. pag. 329 vid. et Libr. de febrib. Cap. de putrid. malign.

r) Selectus materiae medicae. Lipf. 1767. 8. p. 274.

s) On the scurvy and putrid fevers etc. Lond. 1782. 8.

ut excludantur vult. Quod sal volatile oleosum sanguini recens emiss commixtum, sanguinis globulos nedum intra minuti spatum defruxerit aut dissolvet, observavit LOEWENHOECK ^{t)}. Spiritus Cornu Cervi largam assumentam quantitatem producere haemorrhagias affirmat itidem HUXHAM ^{u)} cum ARBUTHNOT ^{x)}. Ex his, quibus plures autores addere possem, si limites libelli mei permetterent, fatis apparet, abstinentiam esse ab omnibus medicaminibus, quibus inest sal alcali volatile, vel oleum empyreumaticum, et praeprimis a spiritu Mindereri, et Cornu Cervi. Sed transeamus ad

§. 30.

Sal ammoniacum.

An et sali ammoniaco vires antisepticae tribuenda sint, nunc videamus. Experimentis cl. PRINGLE edocemur, sal muriaticum aliaque salia, justa quantitate adhibita, carnes, ceterasque substantias animales contra putrefactionem sat valide defendere: quare et sali ammoniaco praeprimis haec vis antiseptica adscribenda est. Docet vero fana theoria et experientia, salia neutra, antisepticorum more agere, quatenus humiditatem, fertilissimam putredinis causam, quam

^{t)} Epist. ad Christoph Wren. Arcan. Natur.

^{u)} L. c. Tom. II p. 53.

^{x)} of. Diet. p. 106.

dicunt conditionalem, attrahunt, in se suscipiunt et hoc modo tollunt. Parciori dosi adhibita huic scopo non sufficiunt, et tunc potius, quod cel. PRINGLE quoque expertus est, corruptionem magis promovent, quam retineant. Quis ergo non videt, nos e vi antiseptica, qua sal ammoniacum aliaque salia neutra pollent, si magna copia pro condimentis inserviunt, argumentari non posse, ipsa in ea dosi, qua aegris propinari possunt, revera esse remedia antiseptica. Contra vero sal ammoniacum praebet medicamentum valde incidens, solvens ac leniter stimulans, quod autem omnino contra indicationem sanamque medendi methodum adhibetur, si causa morbi proxima in dissolutione sanguinis continetur.

§. 31.

Epispaistica et rubefacientia.

Postquam scientiae nostrae venerabile lumen, III. TRALLES ^{y)} multis insque gravioribus firmioribus que argumentis Vesicantium, quae inter epispaistica et rubefacientia primum locum tenent, damna in febris putridis evincere conatus est, ego hic nova demum addere non valeo. Ne tamen hic quidquam, quod hic faciat, desideretur, est, ut nonnulla ab aliis iam dicta brevibus repetantur. Evidem non negamus, epispaistica et rubefacientia pluribus in mor-

^{y)} De usu vesicantium in febris acutis, Wratislav. 1777. 8.

bis, praestantissimam esse medicinam, atque omnibus fere Medicis nostra aetate adeo communem, ut sine ea medicinam aegris suis plane facere nolint; at tamen usum ejus in febribus putridis perversum esse atque ex hoc morbo plane eliminandum, puto, contendō. Omnia, quae hoc nomine veniunt medicamina, v. c. Cantharides, cortex Mezerei, sinapis, reliqua, pollere principio acri, cuius ope irritant majoremque inde humorum affluxum efficiunt, partes solidas relaxant et sanguinem ac reliquos humores nimis solvunt atque ita putredinem cito promovent, per chemicam analysin et quotidianam in praxi experientiam, extra omne dubium est positum. De Vesicantibus, quum in febre nostra perversissimi sint usus, et summum epispastica, peculiaris hic nobis sermo erit, ita tamen, ut ceteris paribus de reliquis epispasticis et rubefacientibus majori vel minori gradu idem valere velimus. Cantharidum substantiae sal volatile subtilissimum, acre rodens causticum, sui generis inesse, nemo facile inficiabitur. Ex hoc autem principio salino, verum vesicantium in corpus nostrum agendi modum satis clare perspicere possumus, qui demum crebris clarissimum virorum experientiis evincitur. Vulgarem, quae externe, cuti applicatis vesicantibus, appareat operatio, inflammantem scilicet et exulcerantem, non recensabo. Meminisse sufficiat, gangraenam frequenter ab iis generatam observasse VAN SWIETEN, RIVIERUM, FR. HOFFMANN, PRINGLE, BAGLIVI, alios.

que. Sed praecipuae et nobis hic notatu maxime dignae mutationes sunt, quae in fluida, preeprimis in sanguinem, et solida, universumque sistema nervosum inferunt. Quin acres particulae, quae cantharidibus insunt, sanguinem reliquosque humores per resorptionem subeant, non dubitamus. Vehemens eorum, foris etiam applicatorum in vias uriniferas actio, quae saepe stranguriam, penis erectiones dolentes, immoidicos ad venerem stimulos, immo miictum non raro cruentum excitare valent, nescio, quo probabili modo explicitentur, nisi resorptionem quandam per vasa lymphatica fieri concedas. 1) Sanguinem et humores reliquos ex cantharidum partibus acribus in eos resorptis, solvi atque putrescere, probant experimenta a BAGLIVIO 2) in canibus et sanguine hominum extra corpus instituta. Illis bestiolis uncias aliquot tinturae cantharidum in venam jugularem injecit, vultusque deligavit. Post mortem collum, quo loco incisum fuerat, sphacelosum, sanguinem vero nigerimum, liquatum, dissolutum et ne vel minimum coagulatum vidit. Docent praeterea hanc vesicantium septicam virtutem Viri illustres, HERM. BOERHAAVE, VAN SWIETEN, GLASS, VALCARENTHI, TISSOT, LANGRISH aliique quam plurimi. Contra illorum autem usum, ubi vel minor adsit ad putredinem dispositio, insurgit prae ceteris Ill. TRALLES. Audiamus insuper HUXHAM dicentem: „Harum mu-

2) Operum pag. 647. sqq Experim. I - IV.

„scarum salia simile fere ratione, qua salia alcalina
 „volatilia, vim suam exferunt, et profecto dissolu-
 „tionem indeque sanguinis putredinem promovent.“
 Quae cum ita sint, valde miramur, et non possumus
 non repugnantiae arguere HUXHAM, dum nihilominus
 eas in summo febris putridae stadio, in quo
 omnia symptomata maximam, quod ipse centies affirmat,
 humorum dissolutionem demonstrant, adhibendas censet!
 BROCKLESBY denique damnat vesicantium usum in
 summo morbi stadio, ubi petechiae et reliqua signa
 sanguinis putrescentis ad sunt. Vir in arte egregius
 C. RICHA b) testatur: in febre putrida Taurinensi, ve-
 sicantium applicationem minus prosperam compertam
 fuisse, additque paullo post: „Ubi humores ad fluorem
 proni sunt, ubi aciores iidem ac effrenes, ubi suf-
 flaminandus potius, quam stimulandus crux, nihil
 iis noxiis magis, nihil magis perniciosum.“ Van SWIE-
 TEN c) notat: Quod, ubi humores dissoluti acres, in
 putredinem vergentes, et magnus motus adeat, non
 adeo tuto adhiberi posse videantur. Cl. TISSOT dicit:
 Cantharidum tenuissima alcalina pars resorpta et sanguini
 mixta illius putredinem juvat, sicque morbos pu-
 tridos auget. Ob tot conspirantia clarissimorum viro-
 rum asserta non dubitamus cum venerabili TRALLES,

a) L. c. pag. 142. sqq.

b) Constitutiones epidemicæ Taurinenses ann 1720. §. 32.
 — Cfr. Baglivi de usu et abusu vesicant. pag. 647. sqq.

c) L. c. Tom I. p. 108.

d) Loc. cit. p. 61.

Cantharides, sub vesicatorii forma extus datas, sanguinem et serum attenuare ac dilolvere, ergo contra secundam indicationem facere quam maxime. 2) Iisdem acribus partibus, quibus stimulando agunt, cantharides externe applicatas, satis in sanguinem agere, et circulum ejus augere extra omne dubium quum sit; ob hanc ipsarum vim etiam ex diuisis in febre nostra omnino nocent. 3) Vim Cantharidum, qua ob partes acres in sanguinem resortas in totum systema nervosum vehementer agunt ipsumque summopere vellicant, extollunt omnes, et excitandis viribus vitalibus in febre putrida languentibus adhibent. Si vero, quae earum irritamentum secundum illum canonem physicum proxime subsequitur, debilitatem contemplamur et vim illarum septicam; sana jam suadet ratio, ad vires in febre putrida languescentes excitandas, non ad stimulum cantharidum confugiatur, quae tam contrariis tertiae indicationi dotibus gaudent: sed ab illis, quae Spho^{zo}, commemoravimus indicatis, quae sunt remedia acida vegetabilia, mineralia, grata analeptica etc. et quae simul sua dote huic perversae crasi et causae morbi valide resistunt, omnis salus atque levamen expectetur. 4) Vis denique ineft Vesicantibus, diverorum axanthematum eruptionem promovendi. Sed qui medici iis hunc in finem in febre nostra utuntur, falsa imbuti sunt opinione, ea scilicet, quod vim habeant extrahendi venenum febrium putridarum, quod tamen contra nostram certat opinio-

nem (§. 15). His discussis, quam tristes imminent morbi excessus, si medicamine utimur, quod omni respectu contraindicatur! Cel. Dr. BRUCE e) de febre putrida scribens, ait: „Absint, quaecunque sanguinem solvunt, quamvis cardiaca dicta, quales sunt „sales volatiles, et spiritus cornu cervi vel ammoniaci, neque extremis admoveantur episistica, quia „sanguinem mire solvunt, haemorhagias atque gangraenam ferunt.“ Venerandus senex III. TRALLES non paucos febribus epidemicis malignis laborantes sine vesicatoriis eluctantes vidit, ad aliorum autem methodos attentus bene multos cum vesicantibus mortuos observavit. Pluribus profecto non opus erit f).

§. 32.

O p i u ~ m.

In curandis febribus putridis Opio non minus ac reliquis excitantibus multum dederunt clarissimi in arte Viri. Videamus autem, an conveniat in hoc morbo, nec ne? Si varios ac sibi plane contrarios, quos Medici ab una alteraque parte celeberrimi opio

e) v. Lind über die Krankheiten in heißen Klimaten a. d.
Engl. Riga und Leipzig 1773. 8. pag. 231.

f) Cfr. quoque Costenbader Diff. de abusu vesicatoriorum in febribus malignis. Lugd. Bat. 1769. 4. et Botetigny Despreux resp. Duchanoy: an febri malignae vesicantia? Paris 1774.

adscribunt effectus, conferimus; primo intuitu haesitamus, an hujus vel illius sententiae patronis accedamus, nisi ipsae ipsorum virorum tam contrariae sententiae, nobis rectum hujus medicaminis agendi modum aperte mox commonstrarent. Prisci aevi Medici usque ad et post tempora GALENT opio natu-
ram maxime frigidam adscribent, quare aroma-
tibus validioribus admiscuere. GALENUS ipse opium
ad medicamina frigida in quarto gradu referebat,
nec ejus affectae ad recentiora usque tempora ab
hac opinione abhorrent: nomino FR. HOFFMANN,
G. G. RICHTER, HECQUET, de GORTER, HAHN,
DEGNER, HEBENSTREIT, ROB. WHYTT, van SWIE-
TEN, de HAEN, missis aliis, qui contendunt, opium
esse frigidae naturae: motus vitales itaque, cordis
nempe et arteriarum valde fistere, et circulationem
sanguinis debiliorem et lanquidorem reddere. Alii,
inter quos eminent PITCAIRNE, THOMSON, FREIND,
BERGER, H. BOERHAVE, von HALLER, BÜCHNER,
HAMBERGER, HEISTER, ROSEN von RORENSTEIN,
TRALLES, aliquie quam plurimi laudant calidam et
acrem opii naturam, quod praeter vim suam ano-
dynam et narcoticam, quam maximo gradu possidet,
ob partes suas volatiles cordis et arteriarum motus
acceleret, atque ita circulum sanguinis adaugeat Sed
veritas in medio locata jacet. Exseret nobis opium,
uti omnia narcotica, duplē effectum, alterum pri-
marium, alterum secundarium. In primario
observantur symptomata, quae sequuntur: calor na-

turalis et circulatio humorum praeter naturam au-
ctus; pulsus celerrimus g) et tensio nervorum; acu-
men sensuum in- et externorum, vertigo, gravitas ca-
pitis, tinnitus aurium, sanguinis accumulatio in cere-
bro, post mortem detecta; splendor oculorum, vigor
omnium functionum, cet. Quis ignorat, Turcas et
Indos opium eo fine assūmere, quo animus erga ho-
stes inflammetur, quosque eo assūmto, furiose invad-
dunt? Transitorius autem hic effectus est, quum
mox eo citius eum excipit secundarius, relaxatio
scilicet nervorum, omniumque functionum languor,
circulatio immiuta, pulsus parvus et debilis, pallor
faciei, torpor, sopor etc. Prior effectus raro aliquot
minuta perdurat, vel eximia opii dosi sumta, nullus
est; posterior diutius durat et magis in sensus cadit.
Quid mirum itaque, si Medici, ad primarium effectum
opii minus attenti, ei naturam frigidam tribuerent?
„Ego certe, inquit TRALLES in eximio et sui gene-
ris unico opere b),“ quoties opium ad enormes ex-
cretiones alvinas et alias compescendas, pulsu jam
summe débili, urgente necessitate exhibui, semper

g) C. I. Wirtensohn Diff. qua demonstratur, opium vi-
res fibrarum cordis debilitare, at motum tamen sanguinis
augere. Hard. 1775. — Borden Recherches sur le Pouls
T. 2. Ed. 2. p. 107. sqq. V. Haller in comment. Götting.
nov. T. VII. p. 13.

b) Usus opii salubris et noxious, in morborum medela etc.
Vratislav 1774. 4. Tomi IV.

animadvertis pulsum tunc fortiorum et citatiorem fuisse redditum.“ Denuo itaque repeto, et ad experientiam audacter provoco, prima sua actione semper opium pulsum accelerare, quamquam vel finita operatione, vel aucta ultra modum dosi, quae necem adferre posse, omnino eveniat, ut ex celeri tardus admodum et debilis reddatur. JOHANNES LEIGH *i)* plurima circa opium instituit experimenta, et semper fere observavit pulsum celeriorem, quem mox tardus subsequutus est. At facile nemo neotericorum hunc opii agendi modum insciabitur. Omnino ergo ii peccare mihi videbuntur, qui opium in febris putridis ad vires fractas erigendas adhibebunt, quum, peracta prima sua actione, semper majorem virum prostrationem pedissequam habeat. Quod si ita sit, opium scilicet circulum sanguinis celeriorem reddere, effectus ejus necessarius erit, ut assumptum et calorem augeat. Porro opium sanguinem laticem mirum in modum dissolvit, expandit et rariorem reddit. *k)* Cel. FREIND Camphoram et opium omnium forte remediiorum attenuantium validissima vocat. Opium sanguini admistum, eum dissolvere, probant experimenta in sanguine extra corpus et in vasis vivorum animalium adhuc circulante, instituta. Fuere, qui

i) An experimenta inquiry into the properties of opium and its effects on living subjects etc. Edinb. 1786. 8.

k) Geoffroy Mat. Med. T. II. pag. 398. Loeske Mat. med. pag. 512.

qui observarent cruorem ex Turcarum et Indorum in praeliis occisorum cadaveribus post unum aut alterum diem fluidum dimanare, ac si novissime fuissent enecati. Ex mente Ill. MURRAY *l)* in febribus putridis et biliosis nocet eo magis opium, quia corruptionem humorum promovet. Opium ad diaphoresin movendam et exanthematum eruptionem promovendam maxime efficax agnoscunt et testantur omnes materiae medicae scriptores: *m)* testatur idem praxis quotidiana. Plurium loco unicum testem Ill. TRALLES affero. „Si vero ullus, inquit *n)* effectus est, quem opium agens in corpore certo praefstat, quique „in omnium oculos incurrit, sane is est diaphoresis, „quam quoties opium exhibuerunt, toties animadver- „tere debuerunt Medici omnium temporum, omnium „regionum omnes.“ Triste legimus *o)* exemplum a calida et volatile opii natura productum. Juveni ad drachmam unam datum efficiebat, ut intra breve tempus demortui cadaver lividis tumoribus in brachio et femoribus deturparetur et corruptionem perpeccis omnibus fluidis, intolerabilem foetorem circa se spargeret. Cel. TISSOT *p)* ait: „Mox capit quisque, cur „in morbo putrido adeo noxiun fiat remedium, ce-

l) L. c. T. II. p. 302.

m) Ettmüller Diss. de virtute opii diaphoretica.

n). De Opio T. I. pag. 132.

o) Memoires de l' Academ. Royale des sciences l'an. 1735.

p) L. c. p. 178.

„teroquin si quod aliud heroicum: laxitatem enim
 „et flatulentiam ex laxitate atque putredinem
 „auget., In nota sic: „Pluribus modis in febre no-
 „stra putredinem intendebat opium, 1.) laxitatem fe-
 „bris inducendo, 2.) evacuationem materiae putridae
 „cohibendo, 3.) actionem nervorum impediendo: ex-
 „perimentis enim probavit illustriss. Hallerus, ex-
 „actione nervorum impedita cito tum in ventriculo
 „tum alibi generari putredinem q)“

Absconum fuerit, has, quas recensui opii vires et
 effectus, in corpus humanum negare. Si autem res
 ita se habet, jam per se sequitur, opium contra secun-
 dam et tertiam indicationem in febribus putridis in-
 dicatum esse.

§. 33.

A r n i c a.

Secundum unanimem omnium, quos novi, Me-
 dicorum sententiam Arnica montana inter acria
 validiora refertur. Partes quippe, quae ei insunt, resi-
 nosae sunt, et paullulum olei aetherei continent.
 Omnes quoque vim ei tribuunt irritantem, inci-
 tantem, resolventem et diaphoreticam. Hanc
 ob causam jam longo abhinc tempore efficacia ejus

q) Second mémoire sur l'irritabilité exp. 182, 183, 185. Cfr.
 quoque Tissot über die Nerven und deren Krankheiten
 Vol. I. T. I. cap. 6. Art. 8.

Iaudata est in effusionibus sanguinis et fugillationibus
a quaquamque causa ortis: etenim tam interne, quam
externe applicata sanguinem coagulatum resolvendo
agit. ^{r)} Sed aliis etiam humoribus stagnantibus
et condensatis ut optimum resolvens inservit. Ra-
dices recentissime, perinde ac planta ipsa ut antisepticum validissimum in febribus putridis lau-
dari coeperunt. Praecipuos hujus rei testes ^{s)} habe-
mus Viros celeberrimos, COLLIN et STOLL ^{r)}, quo-
rum etiamnum manes deveneror. Profecto a multi-
tis vituperabor, abeundo in aliam ac laudatorum vi-
rorum sententiam; at tamen non possum, quin de vi
antiseptica Arnicae dubitem, prorsusque negem, pos-
se ex natura et indole hujus medicaminis concluden-
do quidquam probari. Demum, quomodo medica-
men resolvat simulque putredini resistat, nisi falsam
de natura ac methodo curatoria febris putridae no-
tionem praefigas? Sane ob vim irritantem, qua
circuitus sanguinis augetur, ita ut anxietatem, immo
et haemoptofin excitasce legamus, jam contraindica-
tur nostra in febre. His adde vim ejus incitantem

E 2

^{r)} Eph. N. C. Dec. I. Ann. 9. et 10. Obs. 2. p. 27 et
29. — Act. Berol. Dec. I. Vol. I. n. 4. — Bresl. Ver-
fuche 1719. 1721. 1722. 1725.

^{s)} Heilküste des Wolverley, in Fiebern und andern faulen
Krankheiten. A. d. Lat. übers. von Kausch, Bresl. 1777. 8.

^{r)} Rad. med. T. I. II. et III.

et resolventem, atque ita optimum habebis medicamen septicum, cuius efficacia ex eo probatur, quod sudorem sanguineolentum excitaverit. *n)* Non nego quidem, arnicam extra corpus carnem aliasque substantias a corruptione putrida defendere, haud secus, ac alia ejus generis media; sed et hic inde male concluditur ad ejus efficaciam in corpus animale vivum. Quod vim ipsius diaphoreticam attinet, propterea eam ii tantum in febre putrida adhibebunt, qui falsam de causa atque natura hujus febris habent notionem, et subinde methodo alexiteriae favent. Uſus ergo Arnicae et florū et radicis, nostro ex arbitrio in febribus putridis plane vitandus est. Idem sentiunt mecum Viri undique illustres, *PIDERIT*, *x)* *GREN*, *y)* *MOENCH* *z)* &c. *Cel. CULLEN* *a)* affirmat, Medicos in Anglia sine ulla fortuna eam adhibuisse. Ill. denique *SELLÉ* ne verbo quidem arnicae uſus in febre nostra mentionem fecit.

§. 34.

A f a F o e t i d a.

Nec defunt Medici, qui Aſam foetidam, licet jam rarius, in febribus putridis, tam pro ſcopo exci-

w) Dilthey Obf 2. ap. Haller.

x) Pharmac. rational. Ciffel. 1782, 8. p. 13.

y) Pharmacolog. p. 381. sq.

z) L. c. p. 343.

a) Materia medica, a. d. Engl. überſ. von Consbruch. Leipzig, 1790. 8. p. 239.

tandi, quam putredini resistendi adhibeant. Pars hu-
jus medicaminis praevalens oleum aethereum est,
quo et vim excitantem, antispasmodicam et
diaphoreticam habet. Acrem stimulum diuque in-
haerentem fibrae musculari ciet, humores resolvit, cir-
culum eorum promovet atque intendit. Nescio ita-
que, unde vim ejus antisepticam derivem? Et tam-
quam excitans atque diaphoreticum asam foetidam in
febre putrida adhiberi, contra sanam medendi metho-
dum esse actum, non est, ut pluribus demonstrem.

§. 35.

Alia in febre putrida laudata reme-
dia excitantia.

Obveniunt tandem plura, quae in febre nostra a
multis laudantur atque adhibentur excitantia medica-
mina, quibus vim adscribunt antisepticam. Huc per-
tinent Ruta graveolens, radices Contrayer-
vae, Angelicae, Imperatoria, Herba Sal-
viae, Rorismarini, aliaque hujus farraginis. Pol-
lent haec omnia oleo aethereo, ex quo preeon-
cepta et falsa opinione ad vim eorum antisepticam per-
peram concludunt. Illi quidem, qui miasma qualecum-
que, per sudores eliminandum nostro in morbo pro
causa proxima habent, omne solamen et auxilium in
vim diaphoreticam, alexiteriam et bezoardicam, quam
dicta medicamina exferunt, ponunt; sed e supra allatis
elucet, ipsos a veritate longius aberrare. Ea potius
in haec aromata, excitantia calefacientia quadrant, quae

jamjam ex aliis adduximus. Idem valet de praeparatis horum simplicium, e. g. aceto Rutae, aceto prophylactico aliisque in pestilentialibus morbis decantatis medicaminibus.

Liceat mihi ad finem verbis uti, quae FRIDERICUS HOFFMANN b) ceu perpetuum axioma injungit:
 „Nunquam scilicet in putridis febribus alexipharmacum,
 „calidiora commoventia et volatilia ac sudorifera nimis
 „expellentia esse adhibenda, quum dissolutionem ele-
 „mentorum sanguinis magis promoveant, sed unice
 „temperata et moderata remedia.“

§. 36.

C o n c l u f i o .

Exhibui hisce, quantum vires meae, quarum tenuitatem perbene novi, et quantum limites speciminis academici permittunt, mea de excitantium abusu in febribus putridis sensa. A fanae rationis atque doctrinae tramite me non aberrasse, credo, confido. Et, quum tironis in praxi, licet ei aliqua fuerit, experientia non magni valeat, eam experientiis clarissimorum et fide dignissimorum virorum supplere studui, ab ostentationis febre ceterum longe alienus. Satis felicem me praedicabo, si operam prorsus vanam atque inutilem me non collocasse, intellexerim. Quod maxime optem, est, ut harum rerum periti digna habeant asserta mea,

b) I. c. T. I. Sect. II. Cap. V.

de quibus doctum suum judicium palam mecum ita
communicent, ut errores detegendo simul ad saniora
et cognoscendi et curandi principia me redigere non
deditiguntur. Paratissimum me sane invenient, qui me-
liora non solum edoceri sed etiam exequi cupiat. Ti-
ronem interea cogitet, qui tironis laborum primitias
culpaturus est. Humana humane!

Supremorum in medicina honorum

C a n d i d a t o

S. D.

D. Fridr. Alb. Carol. Gren.

Qui omne studium adferunt ad indaganda remedia; quibus saluti aegrotantium subvenire licet, quive methodum, ipsa in morbis recte adhibendi, ab erroneis et falsis, quibus adhuc premitur, theoriis iuxta fanioris therapiae generalis principia repurgare conantur, illi de praestantissima nostrae artis parte mihi bene mereri videntur. Cognitis enim remediorum effectibus veris, perspectisque morborum, quibus mederi debent, indicationibus, non fieri quoque non poterit, ut in exercitio artis versantes eo certius obtineant finem actionum suarum, restitutionem scilicet aegrotantium. Singularem ergo laudem Tibi promeruisti, doctissime Candidate, dum in dissertatione Tua inaugurali methodum medendi morbis, humano generi tam infaustis, tantasque frages edentibus, accuratori examini submittis, argumentisque gravissimis perniciosum illum abusum excitantium in hisce morbis reprehendis. De quo paeclaro eruditionis Tuae specimine Tibi ex animo gratulor. Quum nemo sit, nisi cui finistra est mens, qui tecum versatus, laudes easque maximas Tibi denegare possit de diligentia Tua in

litteris, de continuo Tuo studio in addiscenda arte
salutari, deque indefessis Tuis laboribus, fusius in lau-
des Tuas excurrere non necessum duco. Nihil ergo
iam amplius supererit, quam ut Tibi applaudentium
numero accedam. Quapropter Tibi ex animo gratu-
lor, praestantissime Candidate, summos in
medicina honores in te propediem ex merito confe-
rendos. Vestigiis immortalis Tui Patrui, cu-
jus obitum adhuc lugeo discipulus, lugent nostri ci-
ves, luget orbis litteratus, cuiusque in me collata
beneficia heic palam profiteor et ad vitae meae fi-
nem semper cognoscam, in excercenda nostra arte in-
fiste, ipsumque veluti exemplar ad imitandum Tibi
semper praeponere. Sic eris solatium aegrotorum, et
artis medicae ornamentum. Ceterum Te persuasum
habeas peto, me in Te amando nemini fore secundum.
Dab. Hal. Magdeb. d IX. Octobr. CCCCCX.

Recens et certe de his studiis in additio[n]e agi
fingit, deinceps multo breviter et concisius, fuisse in lati-
nus tractatissimum et peritissimum dico. Nihil ergo
deinde possum nisi quod in aliis etiam explanantibus
etiam in aliis etiam exponuntur. Quod enim exponit
etiam in aliis etiam exponit, non potest esse in aliis
etiam exponit. Quia potest esse in aliis etiam exponit
etiam in aliis etiam exponit. Tunc latius, cu-
perat enim aliis iugis discutere. In hac modis ei-
rit, quae sunt latiora, et consequie in me collig-
tis. Hoc potest posse, ut si quis habeat in
sua sententia explicationem, et considerante modis sine re-
bus, possit veluti discutere ut contentum. Et h[ic]
est, quod est in aliis etiam exponit, et
in aliis etiam exponit. Tunc latius, cu-
perat enim aliis iugis discutere.

Uk 1253

X2535820

U



DE

ABUSU EXCITANTIUM
IN FEBRIBUS PUTRIDIS

CONSENSU

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA FRIDERICIANA

PRO

GRADU DOCTORIS
SOLENNITER CAPESSENDO
DIE XI. OCTOBRIS, CICCIICCCXC

PUBLICE DISSERET

CHRIST. FRIDERICUS MAURITIUS
GOLDHAGEN
HOHENSTEINENSIS.

HALAE,

LITTERIS FRANCKIANIS.